CHRISTOPHORI SCHRADERI
DISPOSITIONES ORATORIÆ
Ad ductum Rhetoricæ Aristotelis concinnatæ.



HELMESTADII,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT
HENNINGVS MVLLERVS.

CIƆ IƆ C LXIII.

CHRISTOPHORUS SCHRADER
Humaniorum literarum & Eloquentiæ Studiosis in Acad. Julia.

S. D.

EN vobis & alterum genuino usui Rhetoricæ Aristotelis comparatum libellum, priore illo tanto ampliorem, quanto justa exercitatio progymnasmate, oratio epistolâ est operosior. Intellexeram epistolicis dispositionibus adjutos se fateri, qui in scribendo nec ingenio, nec consvetudine solum niti, sed ambobus artem jungere cupiunt. Allubuit itaque orationum ad hanc methodum conficiendarum rationem pariter commonstrare, & eò vos ducere per exempla, quò Aristoteles noster vos misit per præcepta. Utinam verò, quæ ipse ille dicendi maximus magister, hujusque discipulus & in Lyceo successor, Theophrastus, præceptionum suarum rectè usurpandarum causa, composuerant argumenta, thesium nomine appellata, ad ætatem nostram pervenissent; minus tum laborandum posteris fuisset, peripateticam hanc dicendi methodum, ex ipsa humana indole & rerum natura petitam, ceterùm aut desvetudine, aut difficultatis imaginatione à plurimis derelictam, denuò omnibus, & clariùs fortasse, quam solertes & periti egeant, ob oculos statuere. Ediderunt simile quiddam dudum & alij liberalis hujus doctrinæ Professores, & cum laude quidem sua, nec sine pro-

fectu ſtudia iſthæc æmulantium ingeniorum. Mihi verò Ariſtotelis noſtri veſtigia preſſiùs ſequi fuit propoſitum, quod non M. Tullio tantum, ſed & tot annorum experientiâ teſte certus ſim, hunc doctorem, *eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, hæc quoque aſpexiſſe, quæ ad dicendi autem pertinebant*, & quidem penitius, quam non tantum anteriores, quorum omnium præcepta, magna cura conquiſita perſcripſit, fecerant, ſed &, quod mirere, luculentiùs, quam quiſquam omnium qui bis mille annorum ſpatio illum ſunt inſecuti. Partes equidem nonnullas, illam cum primis περὶ λέξεως ab aliquibus poſtea latiùs diductas & pluribus expoſitas, haud diffitear, at qui ex *quibus, quo ordine & quomodo* ſit dicendum, hoc eſt, integram orandi ſcientiam accuratiùs & pleniùs docuerit, adhuc vidi neminem. Meritô igitur hoc veluti ſaxum perpetuò volvo, ut Ariſtoteleorum de arte dicendi librorum, & ſenſum & uſum cùm capiant rectè, tùm in rem legitimè conferant eloquentiæ ſtudioſi. Et ſententiæ quidem illorum illuſtrandæ paratas habeo annotationes, quas, ut auditoribus meis jam tum tradidi, ita, ſimul ultima manu elimavero, cum omnibus communicare haud defugiam. Interea Vos, PRÆCLARI JUVENES, quibus Rhetoris noſtri de dicendi ſapientia doctrinam publicè privatimque, mediocri induſtria, fide optima adhuc propoſui, accipite promta manu & hunc libellum, quo iſtis, quæ in doctore noſtro legitis, rectè utendi rationem propiùs cognoſcatis. Perſcripſi hìc & hypotheſium, & theſium variarum formulas, eo ordine quem ipſe Ariſtotelis liber præivit. In hoc enim primùm omnium loci ſingulis cauſarum generibus, hoc eſt, hypotheſibus, proprij, & tum demum communiores, theſi deſervientes, exponuntur. Atque ut iſthic

hic deliberativi generis loci præcedunt, inde demonstrativi, & hos judicialibus causis proprij sequuntur, ita hîc quoque primum svasionum & dissvasionum, subinde verò laudationum & vituperationum, ac tandem accusationum defensionumque luculenta exempla, sum commentatus, ea serie, ut primum è sacra, mox è Græca, tum è Romana, & denique è Germaniæ nostræ historia caussas, (hoc verbo hypotheses Cicero appellat) in generibus singulis depromserim. Hypothesibus, thesium sive quæstionum infinitarum exempla viginti subjeci. Marci Tullij de his verba sunt in Oratore cap. XIV. *Quæstio à propriis personis & temporibus ad universi generis orationem traducta appellatur thesis* Pergit Cicero: *In hac Aristoteles adolescentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendo, sed ad copiam Rhetorum in utramque partem, ut ornatius & uberius dici poßit, exercuit. Idemque locos, quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.* Hæc de Aristotele Cicero. Quando igitur, *ò optimi juvenes*, & loci isti Aristotelici haud segniter à nobis illustrati, & ad horum usum manuductiones præsto vobis sunt, artes verò operis causa addiscuntur, agite, utimini occasione, & ad hunc ductum concinnè scribere allaborate. Novistis monita sapientum: *Inexercitatus miles semper est tiro. Solus & artifices qui facit usus erit. Nulla res tantum ad*

dicendum proficit quàm scriptio. Stylus optimus & præstantissimus est dicendi effector ac magister. Hujusmodi commendatissimarum exercitationum amatoribus atque æmulis patet domestica mea Eloquentiæ Schola, ad quam denuò invito omnes qui ducis se egere non ignorant. Non exspectabunt, dum hederam, quod dici solet, suspendam. Opera enim mea, ut adhuc nunquam non fuit, ita porro, dum animi & corporis vires Dominus sufficiet, obvia erit iis, qui non audire tantum, sed & discere, & cum nostra suam industriam impigrè & constanter sociare cupiunt. Quod quidem si vel pauci contestabuntur, hujus quoque libri, vestro, mihi carissimo, nomini dicati dedicatique fructum satis amplum mihi videbor percepisse. Dominus spiritu suo mentes vestras inflammet, ut juxta pietatem id, quod virili ætati vestræ usui erit, juvenes rectè atque feliciter Dei gloriæ, bono patriæ, bono vestro addiscatis. In Academia Julia Helmestadij postrid. Id. Octobr. Anno CIↃ IↃ C LXIII.

CORNIF. AD HERENN. l. 1.


Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus. Sed si te unum illud monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum juvare: ut intelligas, hanc rationem præceptionis accommodari ad exercitationem oportere.

IN-

INDEX
DISPOSITIONVM ORATORIARVM.

XXIV.

DISPO-



DISPOSITIONES ORATORIÆ.

I.

ABRAHAM SVADET SVIS DISCESSVM E PATRIA IN TERRAM CANANÆAM.

THema quodcunque confirmaturus, ante omnia indagabit quæ rei de qua dicere cupiat insunt, vel omnia, vel aliqua: nec communia tantum, sed vel maxime, quæ sunt illi propria. Hoc in dialectico studio tradidit Aristoteles l. I. priorum Analyt. c. XXVII. & c. XXX. Idemque in Rhetorica, quæ Dialecticæ propago est, diligenter inculcavit. l. II. Rhet. c. XXII. §. 10. & seqq. Utrobique per *ea quæ insunt* intelliges conclusionis demonstrandæ, & quidem cùm subjecti, tùm prædicati genus, definitionem, partes, causas, effectus, conjugata, adjuncta, subjecta, antecedentia, consequentia. Qui de re proposita pleraque ista, vel præcipua vel omnia, vel his plura cognoverit, huic non poterunt non occurrere multa rei demonstrandæ ac latius explicandæ enthymemata. Atque hoc monitum omnium sequentium dispositionum elaborationibus necessariò prævium, semel hoc loco artis hujus studiosis indicasse sufficiat. Propositam ergo orationem compositurus, primo Abrahami historiam è S. Scriptura, è Flavio Josepho, & optimis interpretibus recognoscat, & ad communia pariter atque propria animum advortat. Commune est, quod in gente idololatrica na-

tus est, & educatus: proprium quod divinitus inde evocatus paruit Domino, & obsequij sui ingens præmium tulit. Postquam ista probè expenderis, jam ad enthymemata invenienda accingi erit opportunum. Ingenium huc intentum ab arte juvabitur, si percurras propositiones capitis v, vi, & vii. l. 1. Rhet. Aristot. & eas sub quibus subsumere in hoc argumento possis, excerpas. Erunt illæ longè plurimæ, & multò plures quam quisquam requirat. E cumulo itaque horum tria tantum ista nunc adhiberi esto satis.

Primum enthymema: *Omnia hic in Chaldæa plena sunt nefandæ & pervicacis idololatriæ. Ergo hinc quantocyus abeundum est.*

Antecedens dilatetur, I. per διατύπωσιν idololatriæ Chaldæorum: *Procidunt passim coram lignea lapideave effigie manibus ipsorummet formata; precantur stellas, audire nescias; auxilium à sole, quod præstare nequit, petunt; circa creaturas occupati creatorem negligunt &c.* Adhibe H. Grot. l. IVtum de Verit. Relig. Christ: II. vanitas Idololatriæ ostendatur: *Sacrificia, lumina, thura, preces offerre nescijs, cæcis, surdis; custodiam ab ijs petere, qui à furibus ipsi petuntur ac violantur, longe absurdissimum est &c.* III. *Nulla spes est fore ut resipiscant Chaldæi, adeò pertinaciter idolis suis dediti sunt &c.*

Antecedenti hoc modo dilatato addatur major Syllogismi: *Inter tam vecordes & à cœlesti veritate alienissimos, diutius morari consultum non est &c.*

Probationes Majoris: *Alioqui lumen veritatis in nobis accensum & ipsi amittemus & malis quæ genti huic imminent pariter involvemur &c.*

Subjiciatur conclusio: *Parate ergo mecum vos, ô carissimi, ad fugam in terras alias; neque enim ut Noacho & familiæ ipsius*

ipsius arcam providit Dominus in qua servaretur, ita nos in calamitatis, quæ nobis imminet, undis mediis tutos præstabit, sed id potius est ut è medio discedamus &c.

Secundum enthymema: *Periculum ingens à popularibus nostris nobis imminet, Ergo fugiendum est.*

Probatio antecedentis: *Nolent ferre dissentientes in re tam gravi: flamma & ferro nos persequentur, quod Deos illorum spernamus. Efficax enim flabellum est superstitio, qua ubi semel animos invasit, ad extrema omnia, in diversum sentientes propellet &c.*

Tertium enthymema: *Nequid dissimulem, Deus me evocavit alloquio singulari & magnis promissis, Eamus ergo quo ille nos vocat.*

Antecedens dilatetur enumeratione promissorum Abrahamo divinitus factorum.

Tribus his enthymematibus interponantur moratæ orationes, quibus pietatem, ac divinis promissis mandatisq; debitam fidem, promtumque obsequium suum, religiosis sententiis prolatis, item amorem servandi uxorem, familiam, ac cognatos eosque cum è perniciosis erroribus, tùm impendentibus calamitatibus eripiendi desiderium testetur Abrahamus. Posterius hoc primo enthymemati, prius ultimo subjici poterit.

Denique & πάθος adhibetor. Metus nimirum post secundum enthymema, fidentia post enthymema tertium. Utrumque è l. II Rhet. c. v. Exordio primus quidem in oratione locus, at manus postrema ut plurimùm convenit, totâ enim dicendi materiâ inventâ ac instructâ procœmium repertu facilius est, præsertim locos illius lib. 3. Rhet. cap. XIV. commonstratos adeunti. Cicero lib. II. de orat. c. p. 77. *Hisce, inquit, omnibus rebus consideratis, tum denique id*

 quod

quod primum est dicendum, postremò soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primùm invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile aut nugatorium, aut vulgare aut commune. Principia autem dicendi semper cum accurata & acuta & instructa sententiis, apta verbis, tum verò causarum propria esse debent.

II.

NOACHI AD MVNDVM DILUVIO PERITVRVM ORATIO.

Cum Noachus ejusque filii & administri multis ante diluvium annis arcæ divino jussu ædificandæ insudarent, & illius ævi homines, ut existimare par est, fabricam hanc mirati, rogarent, quid operis, & cui fini struerent? Noachus & peccata illorum arguit, & pœnam, quæ, nisi resipiscerent, cœlitus impenderet, denunciavit. Inde enim præco justitiæ dicitur II. Petri c. II. 5.

Hujusmodi orationem Noacho convenientem formaturus, ante omnia Noachi historiam & elogia è veteri & novo testamento pensitet, & omnes ejus circumstantias, optimis interpretibus consultis, rimetur: hæc enim prævia meditatio aperiet fontes enthymematum.

Exordium, cujus loci plurimi recensentur l. III. Rhet. c. XIV. hîc ducatur è duobus illis, quos habetis, citati capitis §. 20. nempe ἐκ τε τοῦ λέγοντος καὶ τοῦ πράγματος, ex dicente & ex re. Hoc fere modo: *Demiramini, Convenæ, quid ingens hæc lignorum strues, & ista inusitati operis cœpta compages sibi velit &c. Equidem quinquaginta amplius annos cum sociis meis, machinæ huic fabricandæ impendi, nec ante quinquaginta annorum aliorum decursum labore isto potero defungi: &c. Neque vero vel rerum novarum studium, vel gloriæ alicujus cupiditas, vel domesticarum rerum fastidium, aut inconsulta quædam*

dam temeritas, ad hoc quod videtis, opus tantò nixu struendum me impellit, sed summi rerum omnium arbitri, qui stupendam hanc, quæ supra atque infra nos est, machinam, condidit, mandatum, improbo huic labori me destinavit, hac fini, ut & mihi qui majestatem ejus veneror prospiciat, & vos qui eandem, tam protervè, tamque pertinaciter adhuc læsistis, si fieri queat, ad saniorem mentem revocet &c.

Procemium in hanc sententiam, at phrasibus commutatis, conceptum sequatur 1. acris quædam delictorum illius ævi cum amplificatione incusatio 2. Comminatio pœnæ, & 3. ad pœnitentiam exhortatio.

Duo anteriora ut rectè tractentur, ob oculos sunto 1. Tres generalissimæ προτάσεις generis demonstrativi, l. 1. Rhet. IX, §.6,15,16, sed in contrarias mutatæ, nempe & vitia & horum causæ & opera turpia sunt: Deinde varii amplificationum loci, quos habetis l. 1. Rhet. c. VII. integro c. IX. §.57. & seqq. c. XIV. per totum, tum l. II. c. 7. & 23. l. 3. c. XVII. §. 18. & 19. Prima ergo orationis hujus pars exprobret, istius ævi hominibus 1. luxum, 2. fœdas libidines 3. rapinas, & tandem 4. rerum caducarum unicam curam in universum. Horum omnium turpitudinem, è cujusque definitione, causis, effectis, contrariis, exaggerare ingenio ac industriæ auditorum committitur.

Inde secundæ propositionis demonstrativæ, antea citatæ, monitu fontes horum criminum, duo imprimis isti ostendantur, 1. supinus Dei neglectus, ad cujus imaginem se conditos, hujus mandatis se devinctos, hujus cœlesti regno se destinatos esse, cum plane sint immemores, mirum non esse si in varia ruant flagitia &c.

Secundo, Quod piis licet parentibus editi, impiorum

se connubijs inquinabant, formæ, gloriæ, & potentiæ vesano amore. Et hinc enim omnimoda illa corruptela.

Hic inducatur Noachus, commemorans, è patre suo sæpius se audivisse, quam fuerit Adamus de Sethi posteris sollicitus, ne forte à Caini perversa progenie illi corrumperentur, quod tamen postea factum, Adamus ipse & Henoch & Mathusalem questi fuerint, quorum hunc Noachus, illos Noachi pater per ætatem convenire & audire potuit.

Secunda parte Noachus promulget oraculum divinitus sibi factum, de pernicie quæ orbi universo à diluvio immineat. Extat Genes. vi. vers. 3. & 7. Primo itaque calamitatem prædictam certo eventuram esse demonstretur è quatuor principiis, quæ Aristoteles suggessit l. II. Rhet. c. XIX. §. 33. & seqq. Primum est §. 33. Deus & potest & vult diluvium immittere, ergo certò illud est eventurum. Probatur antecedens: *Qui cum crearet mundum terram ab aqua disterminavit, eadem illa denuo confundere & alterum altero obruere, utique potest. Velle autem se id nunc facere, ex edicto ipsius constat, certo voluntatis indice.*

Secundum §. 43: *Neque vero aliter potest: tam enim multa sunt flagitia vestra, & tam enormia, tantus majestatis ejus contemtus, ut non possit non tandem excandescere, & patientiam vertere in furorem &c.*

Tertium §. 36. Peccata pœnarum & quidem gravia gravium sunt prænuncia. Vestra autem jam ad summum pervenere, ergo pœna ingens est in propinquo.

Quartum §. 37. *Ea causa est cur hanc fabricam mihi Dominus imperaverit; Quod si ulli angulo terræ, parcere ille cuperet, me cum meis illuc potius amandaret &c.*

Proximum his est, ut magnitudo cladis imminentis ostenda-

ftendatur. Fiat id cùm è locis amplificationum aliis fupra citatis, tum è I Rhet. VII, §. 50. & Genef. c. VII §.4, 11, 12, 19: *Rumpentur fontes magnæ abyffi, & cœli catarractæ aperientur, Veniet imber, & terram perpluet ut operiantur omnes fub cœlo montes & deleatur omnis caro &c.* Hic & verba & res quasdam fuppeditabit Ovid. fab. 9. l. I. Metam. Infpergantur paffim fententiæ, quæ reverentiam divini numinis, deteftationem flagitiorum, amorem fanctæ vitæ & flagrantem cupiditatem fervandi gentiles fuos fpirent.

Tertia eaque ultima orationis hujus pars exhortationem contineat ad feriam vitæ emendationem, ubi duos affectus pudorem & metum commovere erit opportunum: *Redite ergo in viam gens perverfa, parete Domino è fordibus vos evocanti. Nimium jam voluptati datum, nimium violentiæ. Pudeat tandem vanitatum, pudeat rapinarum, pudeat tot flagitiorum quibus animus pariter ac corpora veftra contaminaftis.* Adhibete l. II. Rhet. c. VI, §. 5. & feqq. *Deum, angelos, fanctos majores veftros cogitate*, ibid. §. 22, 28, 29. 44.

Poft pudorem, metus excitetur, quod fiet fi periculum ingens & internecinum à Deo irato, & contumeliam paffo imminere demonftres; huc faciet l. II. Rhet. c. V. §. 1. 3. 4. 6. 8. &c.

Epilogus addatur è locis perorationis, qui extant l. III. Rhet. c. ult.

III.

MILTIADES HORTATUR JONES, UT PONTE ISTRI RESCISSO PATRIAM LIBERENT.

ERgo conclufio hic demonftranda eft: *pons Iftri nolis eft refcindendus.* Hujus & fubjectum & prædicatum ac quæ in his infunt ex Ariftotelis præcepto, primo omnium ftudiosè

diosè erunt indaganda. Nempe quis, cui fini, qua conventione, pontem struxerit, quinam appositi ei sint custodes, & an eum rescindere non utile tantum, sed honestum quoque ac licitum sit. De his ergo priusquam manum orationi scribendæ admoveas legendus est Herodotus l. IV. Corn. Nepos in vita Miltiadis c. 3. Justinus l. II. c. 5.

Hi autores de argumento isto ita sunt legendi, ut τὰ πιθανὰ, h. e. ea in quibus vis persvadendi inest, observentur studiosius, ac in orationis componendæ adversaria referantur. Præterea & de obsequio tyrannis debito, de fide hostibus servanda, de patriæ & libertatis justo amore è morali philosophiâ quod huc facit recognoscendum est. Partem horum aliquam docuit Grotius, l. III. de Jure pacis & belli c. 19. & 24.

Hac meditatione præmissa demum ad scribendum accingi fuerit tempestivum.

Exordium quod aut omitti hic aut perbreve præmitti potest, criminetur inexplebilem dominandi libidinem Darij Hystaspidis. Primus hic est deliberativorum procemiorum locus III. Rhet. c. XIV. §. 44.

Confirmationis primum enthymema esto: Libertatis obtinendæ adest opportunitas, ergo illa arripienda est.

Dilatetur I. Majoris intellectæ probatione, è principio quod extat l. I. Rhet. c. VI. vers. 3: *Nullum est animal sui tam incuriosum ut libertatem ostensam negligat &c.*

Secundò exaggeretur oppressio ac servitus Græcarum in Asia civitatum, illata à Persarum Regibus.

Tertió probetur ipsum enthymematis antecedens: *Vel enim ferro hostium, vel inopia, peribit Rex cum exercitu suo, si ponte rescisso reditus prohibeatur. Hoc autem everso salva erit libertas, &c.*

Secun-

Secundum enthymema, à facili; *Nullo negotio, citra conflictum, brevi tempore hoc modo Regem cum omni exercitus sui robore delere possumus, &c.* Extat hic locus l. I. Rhet. cap. VI. §. 35. & 36.

Tertium enthymema: *Nec vestræ tantum, viri Iones ac Æoles, in Asia civitates, nobis consanguineæ, servabuntur, sed & Græcia ipsa, mater vestra, hac ratione à tyranno isto erit tuta.* Principium hujus enthymematis extat l. I. Rhet. cap. VIII. §. 2. & cap. VI. §. 7.

Quartum enthymema è loco communissimo consequentium l. II. Rhet. c. XXIII. §. 55. l. I. Rhet. c. VI §. 6. & VII. §. 63. *Ponte rescisso, & excluso ex Europa Dario, multa nos manebunt bona: Securitas possessionum, vigor commerciorum, rei pecuariæ augmentum, sociorum & amicorum conservatio, &c.*

Post enthymemata δεικτικὰ, sequantur ἐλεγκτικὰ, altera enthymematum species. Vide l. II. Rhet. c. XXII. §. 30. & l. III. c. XVII. §. 21. & l. II. Rhet. c. XXV. §. 1.

Primò ἔνστασις: *Non violabitur hac re nostra fides. Tempus enim à Dario nobis constitutum effluxit, &c.*

Deinde ἀντισυλλογισμὸς: *Metuendum est ne Scythæ victores, ponte hoc ad transitum in ipsam patriam nostram abutantur; at cum patriæ pernicie tueri pontem, nec promisimus, nec promittere debuimus.*

Moratum erit, si patriæ, & publicæ omnium libertatis amorem, privatæ dominationi & singulorum commodis te anteponere, fidei interim datæ memorem esse, nec nisi in re licita, à pactis conventis recedere contesteris.

Ex affectibus primò metus erit excitandus, nam & Darius si per pontem revertetur, aut, si ille forte pereat, Scythæ victores, quin si hi illum huc usque insequantur, ambo nobis erunt formidabiles.

Deinde confidentia, affectus metui contrarius, commoveatur: *Quin ergo aggredimini mecum opus, principes Græcorum, & pontem rescinditis: nemo nobis concordibus poterit resistere: causa honesta est &c. Asia & Græcia factum approbabunt &c. Si Scythæ, quibus numero impares, at fortitudine & scientia rei militaris superiores sumus, Darij impetum sustinuerunt, multo magis id nos poterimus &c. Favet divinum numen proposito nostro &c.* Loci utriusque affectus, prostant l. II. Rhet. cap. V. Hujusmodi plena affectus oratio Epilogi vice esse poterit, vid. l. III. Rhet. cap. ult. §. 7.

IV.

HISTIÆI MILESII ORATIO PRÆCEDENTI CONTRARIA.

CVm Histiæus posteriori loco dicat, ex præcepto Aristotelis, l. III. Rhet. XVII. §. 24. primum solvere rationes Miltiadis, & tum demum suam sententiam confirmare debebit.

Primum enthymema; Fidem regi debitam atque promissam violabimus, si pontem rescindemus. Ergo id faciendum non est. Dilatetur additione majoris & probatione minoris.

Secundum enthymema: Pontis rescissio nobis Asiaticis servitutem afferet acerbiorem, vobis in Græcia libertatis reliquum evertet. Etenim hac injuria & perfidia irritabitur Rex ut sævius regnet. Adhibe l. II. Rhet. cap. XIX. §. 33. & 34.

Tertium enthymema: *Nec facile factu est quod moliris.* (vid. l. I. Rhet. c. VI. §. 36.) *Rumoribus enim de regij exercitus calamitate temere credendum non est: forte sparsit illos consultò Rex, ut fidem nostram periclitetur &c. Reficiet pontem, &c. Aut per loca vadosa remeabit, & tum clementiam vertet in furorem.*

Quar-

Quartum ἠθικὸν, à felicitate & partibus ejus, è l. I. Rhet. cap. v. §. 3. 17. 23. 41.

Divitias, honores, fortunam omnem, quin vitam ipsam perdemus si Darius peribit. Ergo pons servandus & incolumitati Regis nobis erit studendum.

Antecedens probatur, Darii enim regno nititur omnis nostra fortuna, vid. Corn. Nep. in Milt. c. III. §. 5.

Τὸ ἠθικὸν hic erit si ostendas, fidei datæ ac debitæ religiosam observationem tibi cordi esse.

Τὸ παθητικὸν, erga principes Græciæ viros, beneficii regij amplificatio è l. II. Rhet. c. VII. §. 3. & metus Regis perfidiâ suorum irritati. Adite l. II. Rhet. c. v. §. 6, 8, 9, 12, & ex his patheticam hujusmodi orationem concinnate.

Epilogus vim argumentorum breviter repetat, l. III. Rhet. c. ult. §. 9.

V.

POLEMARCHI ATHENIENSIS ORATIO MILTIADEM ADVERSUS INSULAS QUÆ DARIUM ADJUVERUNT MITTENDUM SUADENS AD EXEMPLUM MANILIANÆ CICERONIS.

Miltiadis res gestas primum cognoscere oportet, ex Herodoto, Plutarcho, Corn. Nepote, Justino, Valer. Maximo & aliis.

Exordium ex dicente, ex re, & ex auditore petatur l. III. Rhet. c. XIV. §. 20. Ex dicente: *Officium Polemarchi est de bello curam suscipere &c.* Ex re: *Ni insulæ quæ defecerunt ad obsequium reducantur, Athenæ non possunt esse tutæ &c.* Ex auditore: *Vestrum, cives Athenienses, est decernere &c.*

Narratio commemoret insularum ad Darium defectionem.

Propositio per partitionem, Primum de genere belli, tum de imperatore dicendum esse ostendat. Genus est ejusmodi, ut omitti bellum nequeat. Probatur quatuor enthymematibus, à partibus humanæ felicitatis l. 1. Rhet. c. v.

Primum enthymema: Agitur in hoc bello gloria Atheniensium, ergo omnino est suscipiendum.

Antecedens probatur è loco communissimo contrariorum: *Dedecori nobis est quod incolæ insularum, subditi nostri, commeatum & triremes hosti suppeditarunt, atque ipsi etiam contra nos in aciem sunt profecti, quos nisi quantocius ad officium redire coëgerimus, nova auxilia Dario submittent &c. Hic autem non regno suo sed agro tantum nostro pulsus est &c.*

Probato antecedente, inferatur conclusio per comparationem à minori: *Majores nostri ne unius quidem civis defectionem inultam reliquerunt, vos tot insularum &c. Æginetæ, quod unam navem nostram in Sunio diripuerant, acriter à nobis sunt multati: Vos ijs qui ad totius Atticæ, imo Græciæ vastationem cum Persis conspirarunt ignoscetis &c.*

Secundum enthymema: Agitur salus sociorum & amicorum, ergo bellum hoc necessario est suscipiendum.

Antecedens probetur enumeratione: *Iones, Æoles, Delij, Lesbij, Euboici, Thraces &c.*

Conclusio per comparationem à minori: *Si propter socios majores nostri cum Peloponnesijs cum Megarensibus &c.*

Tertium enthymema: *Agitur de maximis proventibus nostris. Atticus ager vix incolas suos alere potest. Cycladum autem insulæ tam sunt opimæ &c.*

Quartum enthymema: *Aguntur bona multorum civium, qui ista insularum ad Persas defectione prædia, naves, pecuniam, armenta, & varia vitæ subsidia, quæ in insulis istis habebant, omnia amiserunt.*

Repetita

Repetita conclusione, transeatur ad alteram partem & Miltiadem præ omnibus aliis ducem classis esse eligendum svadeatur quatuor enthymematibus.

Primum : Miltiades peritissimus est rei militaris, ergo ille potissimum classi est præficiendus. Probetur antecedens: 1. Apollinis ipsius responso 2. Inde à puero miles fuit, 3. *Bella, Thracicum, Lemnium, Persicum, gesta feliciter, nullam rem declarant, in usu militari positam, quæ hujus scientiam fugere possit.*

Secundum enthymema : Miltiades est virtute militari præditus. Testis est Chersonesus, testis Lemnos, testes Cyclades, testis ager Marathonius &c. Idem justitia, æquitate, humanitate, facilitate, præcellit.

Tertium enthymema: Valet autoritate, hanc enim illi conciliavit oraculi responsum. Eadem patuit in Lemno, ubi Cares resistere ei non sunt ausi. Item cum contentio inter nostros Prætores esset, utrum mœnibus nos defenderemus an hosti iremus obviam, unius Miltiadis autoritas plus quam cæterorum omnium valuit &c.

Quartum : Felicitas ejus maxime patuit in pugna Marathonia, ubi decuplicem numerum hostium profligavit.

Epilogus fidentiam moveat è l. II. Rhet. cap. V. & suum in remp. amorem testetur.

VI.

ARCHONTIS ATHENIENSIS ORATIO PRÆCEDENTI CONTRARIA.

EXordium è secundo deliberativorum proœmiorum loco l. III. Rhet. c. XIV. §. 44. amoliatur calumniam, & moratâ oratione utatur: *Neutiquam ego viros de rep. bene meritos præmiis suis privare, aut de gradu dejicere cupiam &c. Patriæ salus*

hus & tranquillitas cordi mihi est, quæ quidem tuta esse nequit si uni civi toties imperia committantur, &c.

Primo igitur ostendat bellum hoc neque necessarium esse, neque justum; non necessarium quidem, quod insulæ ad obsequium sponte sua sint rediturx &c. Injustum vero, 1. quia per vim à Dario in bellum sunt protractæ &c. 2. quia Miltiadis privatum in quasdam insulas est odium, de quo vide Herod. l. vi. in fine.

Cæterum dotes Miltiadis priori oratione recensitas omnes agnoscat Archon, sed inde contrarium concludat. Sit ergo primum enthymema: Miltiades jam tum autoritate & potentiâ nimium eminet. Ergo ulterius evehendus non est. Dilatetur 1. probatione antecedentis per enumerationem & exaggerationem imperiorum à Miltiade adhuc gestorum.

Deinde addatur major: *Qui potentia & autoritate jam tum omnes cives supergreditur, novis honoribus mactandus non est &c. Inæqualitas enim nimia civium, gravis est libertati &c. Neque temperant sibi potentiores quin plus quam licet affectent &c.*

Secundum enthymema ducatur ab exemplo Pisistrati, cui cum nimium potentiæ à civibus nostris indultum esset, vertit illam in tyrannidem.

Tertium enthymema: Præsto sunt alii, quibus citra metum nimiæ potentiæ hoc bellum queat committi.

Mores dicentis arguet, si libertatem prædicabit Archon, atque ejus conservandæ studium singulare præ se feret.

Denique affectum invidiæ movebit, ostendendo, fortunæ potius quam virtutis esse, quod gessit Miltiades, 2. esse inter cives, qui merito & ipsi expetant imperia, quippe scientia militari, ac animi magnitudine Miltiadi pares. Nec sine opprobrio hos præteriri. Adi l. II. Rhet. c. x. §. 9. 10, 16. &c.

Epilo-

Epilogus Conclusionem principalem denuo inculcet, & sincerum esse consilium suum, citra odium in Miltiadem, citra gratiam in ullum alium, in publicum tantummodo bonum intentum, l. III. Rhet. c. ult. §. 9. & 3.

VII.

ORATIO PVBLII VALERII TARQVINIO SVPERBO REGNVM ABROGANDVM SVADENS, AD IMITATIONEM TERTIÆ PHILIPPICÆ.

DE Tarquinio superbo scribunt Livius l. I. à cap. XLVI. usque ad finem libri. Dionysius Halicarnassensis l. IV. à cap. XLIIX. usque ad finem libri. Florus l. I. cap. VII. Eutrop. l. I. Sextus Aurelius Victor cap. IIX. Ex his scriptoribus tyrannidem & exilium Tarquinij Superbi recognoscere, & mox tertiam Philippicam Ciceronis perlegere ac utrobique τὰ πάθη studiose consectari in antecessum oportet.

Procemium animos præparet metu & fidentia, è II. Rhet. c. V. proposito nimirum periculo quód ab excluso jam urbe Tarquinio omnium capitibus & fortunis imminebat, tum allegato breviter, non deesse præsidia, quibus rem bene cessuram confidere debeant.

Propositio hortetur populum, ut Tarquinio regnum adimat, eumque, cum liberis, jubeat exulare.

In Confirmatione laudentur primo Brutus, qui contra Tyrannum primus signum sustulit, deinde populus ipse Romanus, qui portas Tarquinio clausit, tertiò exercitus, qui in castra venientem Brutum læti acceperant.

Post illa hoc enthymema tractetur, assumtum è genere demonstrativo:

Infinita sunt quæ superbè, crudeliter, avarè, injustè

gessit

gessit Tarquinius, nec ulla apparet spes emendationis, Ergo æternùm excluditur urbe & regno.

Antecedens probetur, enumeratione flagitiorum ejus ex autoribus citatis, & tandem stuprum à Sexto Tarquinio Lucretiæ illatum amplificetur. Tandem exhortatio fiat, primo pudorem Romanis, inde fidentiam movens ad exemplum Tullianum.

IIX.

MENENII AGRIPPÆ ORATIO AD POP. ROMANUM IN MONTE SACRO.

Legendi sunt Dionysius Halic. l. VI. cap. LXXV. & seqq. Liv. l. II. cap. XXIII. Florus l. I. c. 23. Valer. Max. l. VIII, cap. IX.

Exordium attentum reddat populum jucundo illo Apologo de membris humani corporis à ventre diffidentibus, è citatis autorum locis.

Propositio plebem è monte in urbem invitet.

Confirmationis I. argumentum esto integer hic syllogismus, è propositione Aristotelica l. I. Rhet. cap. VIII. §. 2. Quod civitatem conservat à civibus vobis est faciendum.

Reditus vester civitatem conservabit. E. redeundum vobis est.

Conclusio primo loco ponatur, est enim ipsa orationis propositio.

Sequatur major propositio, duplici hac probatione dilatata; I. Neque enim absque eo vel nomen vestrum vel illam tot præliis partam gloriam tueri potestis 2. In rep. ut in navigio, non nauclerus tantum, sed & remex, & quivis nauta, communem juvare tenetur navigii salutem.

Mox & minor his aliisque probationibus explicetur: I. *Ab-*

1. *Absentibus vobis caput erit sine membris*, 2. *Volsci aliique hostes finitimi partum vestro & majorum sanguine imperium evertent*, &c.

His omnibus adjiciatur conclusio: *Quin itaque revertimini ad lares vestros* &c.

Alterum argumentum sub propositione Aristotelica quæ exstat I. Rhet. l. VI. 43. esto hujusmodi: *Reversis vobis ex animi sententia omnia indulgebuntur, Ergo revertimini.*

Antecedens dilatetur enumeratione eorum quæ plebs cupivit & consequetur: *Æs alienum omnibus qui solvendo non sunt remittetur: Si quorum corpora, quod præstitutum solutioni diem excesserint, ex lege jam tenentur, & ipsa erunt libera. Præterita omnia obliterabuntur, de futuris ex communi vestro & Senatus consensu statuetur. Tuendis vobis peculiaris magistratus erunt Tribuni* &c. Post illa repetatur conclusio primi syllogismi verbis variatis & novo medio termino inserto.

Ἦθος sive morata oratio, passim interponatur, prolatis ejusmodi sententiis quæ dicentis tres ab Aristotele II Rhet. I. §. 9. & 10. commendatas virtutes ostendant.

Epilogus ductu tertij perorationum loci III. Rhet. c. ult. §. 7. utriusque partis quæ remansit, quæque secessit, si diffidere pergant, pericula ob oculos ponat è II. Rhet. V. §. 45. & seqq.

IX.
CATONIS CENSORII ORATIO IN SENATU, SUADENS CARTHAGINEM ESSE DELENDAM.

ADite Plutarchum in Catone majore cap. L. & seqq. Strabonem l. XVII. pag. 573. Plin. l. XV. cap. 18. Ciceronem in Catone majore cap. VI. Florum l. II. cap. XV. §. 4. Appianum in Libycis.

In exordio Cato ex Africa redux è tertio proœmiorum deliberativorum loco L. III. Rhet. XIV. §. 44. potentiam Carthaginis extollat.

Propositio: *Carthago funditus est delenda.*

Confirmationem inchoet morata oratio, qua non ex odio in illam gentem, non ex insita quadam inhumanitate, ut malevoli calumniabantur, sed solius reip. ac posteritatis causa ita se sentire contestetur.

Primum enthymema è I. Rhet. V. §. 4. & IIX, 2. *Carthagine deleta vita nobis & nepotibus nostris demum secura erit, Ergo delenda est.*

Antecedens probatur quia jugum excutere & volunt & possunt. Adhibete è l. II. Rhet. XIX. propositiones de possibili & futuro. *Neque enim post bellum Punicum secundum finitum collapsæ sunt Carthaginiensium res, sed immensùm auctæ sunt illis ingentes divitiæ, copiosa juventus, armorum instrumentorumque bellicorum abundans apparatus, trecentas urbes in Africa habent, in urbe hominum millia septingenta, Urbs ipsa ultra quam credi potest est refecta, fabrorum multitudinem tantam publicis alimentis sustentant, ut singulis diebus centum quadraginta clypei gladij trecenti & decem, lanceæ quingentæ, mille tela, compingi & in armamentarium referri queant. Mulieres Punicæ capillos ad funes conficiendos præbere sunt paratæ &c.*

Volunt autem deficere, quia *principatum nostrum & impositum tributum ferunt ægerrimè &c.*

Conclusio: *Itaque omisso jam Masinissæ negotio nostrum agamus, &c.*

Secundum enthymema è I. Rhet. VI. §. 29. hac propositione: Cujus causa multum laboratum est. *Quæ centum hu & viginti annis à majoribus nostris & nobis magno labore, virtute ac fortuna pari gesta sunt, eo omnia pertinebant ut fra-*

 ctâ

stà Carthaginis potentiâ nostram firmaremus. Hic è Flori l. II. c. 2. §. 6. breviter enumerentur Appii Claudii, Caji Duillij, Attilii Reguli, Scipionum res gestæ. *Pudeat autem, nos horum vestigiis derelictis, bellum, quod commissum & profligatum est, non conficere.*

Peroratio moveat metum, è II. Rhet. v. & non procul abesse periculum inde ostendat, quod tridui tantùm itinere Roma absit Carthagine.

X.

SCIPIONIS NASICÆ ORATIO CATONIANÆ CONTRARIA.

PRoœmium è primo exordiorum deliberativorum loco III. Rhet. XIV. §. 44. criminetur asperitatem Catonis. Propositio, *Carthago est servanda.* Initio autem confutanda sunt, argumenta adversarii, ex præcepto Aristotelis III. Rhet. XVII. 24. Primum quidem è loco communissimo à majori: *Carthago integra non erat nobis par, multo ergo minus jam erit, cum magnâ parte potentiæ suæ est exuta.* Secundum, hoc modo: *Non in hoc laboratum est à patribus & nobis, ut funditus deleretur Carthago, alioqui sub finem primi belli Lutatius Catulus, & sub finem secundi Scipio id præstare potuissent; nec periit noster ille centum & viginti annorum labor, modo in Africa sua Pœnus nostrâ virtute contineatur.*

Inde suæ sententiæ fidem faciat è prima propositione de bonis controversis I. Rhet. VI. §. 24. *Carthagine deleta juventus Romana degenerabit, Ergo delenda non est.*

Antecedens probetur, 1, simili: *Ut ferrum nisi exerceas rubigine conficitur &c.* 2, exemplo: *Epaminondæ morte virtus Atheniensium intercidit.* Iustinus VI. 9. 3. propositione nona de bonis controversis, I. Rhet. VI. §. 32. *Cleomenes Rex*

 Sparta-

Spartanus dicenti cur Argivos qui sæpe bellum susceperant non delevissent, respondit : nequaquam delendi nobis sunt, ne desint qui juvenes nostros exerceant.

Post hæc inferatur conclusio enthymematis. Sequatur morata oratio, quâ suum in remp. studium declaret.

Epilogus fidentiam moveat è II. Rhet. v. & argumentum ficulneum Catonis à præcoci ficu desumtum contemnat, cum pomum illud argumento sit, & nos tridui itinere Roma Carthaginem pervenire posse.

XI.

CAROLO M. SVADET SENATOR, VT E DANVBIO IN RHENVM NAVIGATIONEM PROCVRET DVCTA FOSSA.

ANnales Francorum ad annum DCCXCIII. de hac re ita referunt : *Persuasum Regi erat si inter Radantiam & Almonum fluvios fossa navium capax duceretur, posse commodè è Danubio in Rhenum navigari, quod alter Danubio, alter Mœno miscetur: Confestim cum omni comitatu suo eò venit, congregataque hominum multitudine totum autumni tempus in eo opere consumsit. Ducta est fossa inter prædictos fluvios, duûm millium passuum longitudine, latitudine trecentorum pedum, sed incassum: nam propter juges pluvias & terram quæ palustris erat nimio humore suapte natura imbutam cæptum opus consistere non potuit: sed quantum interdiu terræ à fossoribus fuerat egestum, tantùm noctibus humo iterum in locum suum relabente subsidebat.*

Exordium de re magnâ, admirabili & ad Cæsaris majestatem maximè pertinente se dicturum promittat; his enim argumentis excitatur attentio III. Rhet. 14. §. 28.

Propositio : *E Danubio in Rhenum navigatio procuranda est.*

Primum

Primum enthymema sub propositione quæ extat I. Rhet. v. §. 35. & 41. Fieri hoc potest, Ergo suscipiendum est. Dilatetur I. illustratione majoris : *Absit ut impossibilia suadere instituam &c. Inanis est oratio, de iis, quæ humanas vires excedunt &c.* 2. probetur minor : *Intervallo haut magno distant fluvij, quorum alter in Rhenum, alter in Danubium evolvitur, hi si ductâ fossa iungantur expetita navigatio institui poterit. Neque novum est, aut ultra humanam opem, fossas ducere navigabiles. Fecerunt olim Romani.* Vid. Tacit. Annal. XIII. cap. 53. §. 3. *fecerunt Franci nostri, alijque.* Plures minoris probationes suppeditabit II. Rhet. XIX. à §. I. ad 22.

Secundum enthymema à partibus felicitatis quæ enumerantur I. Rhet. v. item è propositionibus quæ leguntur I. Rhet. VI. 6. & cap. VII. §. 63. *Hujusmodi navigatio, nomini tuo gloriam, incolis divitias, imperio tuo firmamentum ac robur afferet.* Probentur singula: *Gloriosum utique erit nomini tuo, hac ratione Pontum Euxinum cum Oceano Germanico procul jungere &c. Merces è Danubio in Rhenum & contra, sine magno sumtu transferentur. Commercia autem nova, novas afferent divitias &c. Sed & exercitus tuus, sine quo regnum tibi tutum non est, nullo negotio è Rheno in Danubium transportari poterit &c.*

Tertium enthymema, sub propositione quæ extat I. Rhet. VI, 39. *Tanto regi convenit, ut res magnas, admirabiles, in totius Europæ bonum cedentes suscipiat &c.*

Quartum enthymema indicio propositionis, quam habetis I. Rhet. VII. 15. *Non indiges ad hoc opus aliis ministris quàm militibus tuis, qui à Saxonico bello jam quiescentes ni in opere teneantur, enervabuntur, & ad labores militares reddentur inepti, magno regni tui malo.*

Affectus confidentiæ post enthymemata in animo Caroli commoveatur, iis argumentis, quæ extant II. Rhet. v. 36, 39, 40, & 46.

Mora-

Moratum erit, si animo erga Imperatorem ejusque gloriam ac incrementa devoto ista svaderi, seriò contesteris.

XII.

ORATIO PRÆCEDENTI CONTRARIA.

EXordium esto ex dicente, ex auditore & ex re III. Rhet. XIV. 20. Ex dicente : *Nisi me necessitas, & qua majestati tuæ devotus sum, fides cogeret, non sustinerem, collegæ adversari. Sum enim ab omni dissensione alienus, concordiæ amans ac quietis.* Ex auditore : *Tui vero, Carole, regni salus, tranquillitas atque incrementa, omnibus nobis meritò cordi sunt, &c. Neque tu libentius audies novas sed inanes spes, ostentantem, quàm eum, qui res tuas jam tum florentissimas, incolumes cupiat conservare &c.* Ex re : *Rheno Danubium immittere sunt qui laborent, consilium primâ specie lætum, at tractatu durum, exitu, nisi omnia me fallunt, demens ac ridiculum.*

Principiò quatuor enthymemata adversarii totidem oppositis confutentur, vide III. Rhet. c. XVII. §. 24.

Primum : *Fieri non potest quod illi suadent, ergo frustra svadetur.*

Probatur antecedens, 1. *Danubius & Mœnus cursus habent contrarios, ille ortum, hic occasum versus, nequaquam itaque misceri poterunt, sed alter alterum naturaliter destituet fugietque.* Secunda probatio : *Inter amnes conjungendos locus medius longè lateque est palustris, & ob id, ad fossam, quæ consistat, ducendam minimè aptus; quantum interdiu à fossoribus egeretur, tantum noctibus humo relabente concidet &c.* plures antecedentis probationes suppeditabit II. Rhet. XIX. 11. 12. 13. &c.

Secundum enthymema : *Eventus frustratus imaginariam gloriam in opprobrium vertet, &c. Mercium & militum facilius transportandorum spes in risum abibit.*

Ter-

Tertium enthymema: *Tantillum incerti commodi ac vanæ gloriolæ cum certo famæ dispendio captare, regiæ majestati minimè convenit &c.*

Quartum: *Militum opera fossis ducendis perdi nequit. Imminent enim nobis hinc perfidi Saxones, illinc truculenti Saraceni, adversum quos militum manus armis in campo nobis sunt exercendæ.*

Post ἐλεγκτικὰ addantur enthymemata δεικτικά. *Fluviorum cursus conari immutare, est naturæ ipsi & Deo, hujus autori, reniti, Ergo illud tentandum non est.* Secundum è loco communissimo II. Rhet. XXIII, 64. *Pari molimine fortassis & montes postea transferre allaborabitis, nam & hoc gloriam & commoda afferre posset*, Tertium: *Non eget hac fluviorum conversione regnum Francicum; quippe mercium ac militum huc illuc transportandorum opportunitate jam tum abundè instructum.*

Ex affectibus pudor huc pertinet, qui excitatur, si ea agi demonstretur, quæ lædunt existimationem II. Rhet. VI. 18.

Morata oratio claudat orationem, qua non contendendi studio, sed patriæ & Imperatoris amore se ista protulisse iterum contestetur.

XIII.
LAUDATIO JOHANNIS BAPTISTÆ.

DEmonstrativis orationibus, quarum exempla deinceps proponemus, pariter omnibus præmittendum est monitum Aristotelis II. Rhet. XXII, 9. videlicet de argumento orationis ante omnia ea esse cognoscenda, quæ illi insunt, vel omnia vel aliqua. *Quomodo enim*, ait, *possemus laudare Athenienses, si non teneamus, in Salamine navalem pugnam & prælium in Marathone, aut quæ pro Heraclidis gesserunt, &c.* Eodem

modo

modo dicere nobis licet: quomodo laudare Johannem Bapt. possis, nisi natales, vitam & mortem ejus antè habeas probè cognita.

Johannem itaque Baptistam laudaturus, primum omnium historiam illius, dicta, facta, diligenter cognoscat oportet, absque hoc enim materia laudationis nulla suppetet.

Exordium è tertio & quinto procemiorum demonstrativorum locis, III. Rhet. XIV, II, petatur. E tertio quidem sive ex svasione, hoc ferè modo: *Prodest maximè sanctorum virorum exempla cognoscere atque expendere: habet enim hujusmodi meditatio vim haut exiguam excitandæ pietatis &c.* è quinto, id est ex ijs quæ referuntur ad auditorem, benevolentia paretur & attentio. Benevolentia quidem è propositione de amore, II. Rhet. IV, 24: *Non quidem quod de vestra pietate dubitem, sed ut currentibus, quod dici solet, calcar addam.* Attentio paratur magnis III. Rhet. XIV, 28. *Dicam de eo viro cujus similem nulla historia, non Græca, non Romana loquitur.*

Propositio itaque pars sit procemii.

Narratio, non sit perpetua sed per totam sparsa orationem, quod in demonstrativis orationibus fieri debere docetur III. Rhet. XVI. I.

In confirmatione, naturalis ordo servetur, ut primò ortus, deinde vita, denique mors celebretur, eorumque omnium ex evangelica historia notissimorum amplificatio fiat. Est enim demonstrativis orationibus omnium maximè amplificatio accommodata, I. Rhet. IX, 63. & lib. III. c. XVII. 4. Hæc autem fit per enthymemata quæ probant rem magnam esse II. Rhet. XXVI, 3. Istiusmodi enthymematum loci habentur I. Rhet. VII, IX. & XIV. it. libr. II. capp. VII. & XXIII.

Primum

Primum enthymema, ex pluribus amplificationum locis petitum, congerie quadam, ea enumeret, quæ circa ortum Johannis magna & singularia contigerunt. Ut quod præcipua quadam Dei curâ misso in eam rem Angelo Gabriele, tum cum Dei cum hominibus familiaria colloquia diu cessassent, è sterilibus & annosis parentibus prognatus, & jam in utero repletus est spiritu S., non obstante parentis incredulitate.

His enumeratis amplificatisque subjiciatur consequens enthymematis. *Ergo nativitas Johannis plane est singularis*, per asyndeton, anaphoram & incrementum : *Nihil sanè hic nisi singulare, nisi supra mortalium sortem, nisi stupendum, nisi divinum &c.*

Cum hoc consequente primi enthymematis, connectatur antecedens secundi, ex octavo amplificationum loco, quem habetis I. Rhet. IX, 60. *Nihil habet extera historia, quod comparari cum hujus viri ortu debeat. Repetite animo auguria illa, & si Diis placet, oracula, quibus Pythagoræ, Alexandri magni, & aliorum natales inclaruerunt. Somnia quædam & inanes Pythiæ aliusve sacerdotis delusiones deprehendetis. In divinis literis nostris quorundam similes natales celebrantur, qui tamen oppido pauci sunt, & si Christi Servatoris ortum excipias, huic splendori omnes cedunt &c.* Addatur consequens enthymematis per interrogationem. *Ecquis ergo non veneretur pueri hujus natales, & cum propinquis ejus summa ab eo omnia non exspectet?*

Post hæc vita ejus laudetur, & in illa, primo quidem summa austeritas victus cultusque. Amplificari illa inter alia poterit è XIIItio loco communissimo II. Rhet. XXIII, 49. à partium enumeratione, per διατύπωσιν : *Parentibus relictis in desertum se contulit, ubi victus ejus locustæ; vestis, pellis camelina; stratum, humus; domicilium, caverna, &c.* II. præco-

 nium

conium pœnitentiæ in deserto convenis quibusque factum, per sermocinationem amplificatum afferatur. III. in tam sublimi vitæ genere, singularis ejus modestia ex signis demonstretur laudeturque.

Tandem & mors ejus celebretur, additâ in thesi laudatione martyrii.

Singulis orationis hujus membris interponatur morata oratio, qua nunc diviniNuminis erga mortales providentiam singularem, nunc vitæ austerioris & à mundi hujus vanitatibus semotioris studium, nunc seriam morum emendationem, tibi quoque curæ ac cordi esse præ te feras.

Ex affectibus misericordia huc pertinebit: quæ ad extremam orationis partem, quâ de morte viri agitur, cieri poterit ea ratione, quam Aristoteles docuit II. Rhet. IIX, 28, 31, 32 & 33. Pertinebit huc & æmulationis affectus, qui ut concitari debeat à Rhetore nostro ostensum est II. Rhet. XI.

Epilogus imaginem quandam hujus viri breviter repetat, & ad laudabile illius exemplum auditores invitet.

XIV.

ELOGIVM MOSIS.

MOsen laudaturus, & res illius probè recognoscat, & harum magnitudinem animadvertat, monitu locorum amplificationis, & denique de concinno tractationis ordine cogitet.

Res ejus præter sacram historiam luculenter descripserunt Philo Alexandrinus tribus libris, Fl. Josephus in Antiquitatum & duobus contra Apionem libris, Gregorius Nyssenus libro singulari, Rabbi Moses Maimonides, in More Nebuchim, parte secunda cap. 33. & passim alibi, Diodorus Siculus ecloga ult. E tè recentioribus Benedictus Pererius

procœ-

procœmio commentariorum in Genesin, Antonius Possevinus in Bibliothecâ selectâ l. 2. cap. 4. & seqq. Brevius de eodem agunt Justinus Martyr cohortatione ad gentes, & externi illi Strabo l. xvi. Plin. l. xxx. c. 1. Justinus è Trogo Pompejo lib. xxxvi. Dionysius Longinus in libello de sublimi genere dicendi, Trebellius Pollio in vita Claudij Imperatoris.

Amplificationum loci, quorum ductu rei magnitudinem advertere, & demonstrare possumus, continentur, ut supra jam tum indicatum est, 1. Rhet. vii, ix, xiv^to capp. & libri 2^di vii. & xxiii. capp. Imprimis autem huc pertinet citatatum cap. ix. libri. 1. utpote quo propositiones generis demonstrativi propriæ longâ seriè perscribuntur.

Ordo in hac laudatione vel naturalis vel artificialis eligi poterit. *Si* artificialem observare lubet, primò erit memorandum, celebrandumque, quantus Philosophus fuerit Moses, quippe eruditus omni sapientia Ægyptiorum, Act. vii, 22. Ægyptiorum autem sapientiæ studia fuere inter alia, Arithmetica, Geometria, Astronomia, Physica, Medicina, belli item ac pacis artes, ut ex Herodoto, Diodoro Siculo, Strabone, Clemente Alexandrino, & aliis constat. Adi & Cl. Collegæ Hermanni Conringii Hermetica cap. 12 & 13. Ita vero sapientiæ Ægyptiorum deditus fuit Moses, ut ab idololatria illorum atque superstitionibus, planè manserit immunis.

II. & Orator fuit, ut cum ex historia Sacra, tum è Stephani protomartyris testimonio constat. Act. vii, 22.

Idem III. & Poëta fuit, ut liquet è psalmis quos scripsit & antiquitas nobis transmisit.

IV^tò Historicus fuit, verax, luculentus, & orbi terrarum necessarius.

V. Dux exercitus ac bellator egregius.

VI. Politicus insignis, quippe qui legibus sapientissimis remp. Hebræorum instituit.

VII. Quod omnia superat, Dei familiaris fuit, & Propheta sine exemplo, stupendorum operum patrator.

IIX. Tantis rebus cum fuerit divinitus destinatus, mirum non est quod natus atque expositus, à Deo servatus fuit. Mortuus verò, per Angelum, in loco mortalibus incognito sepultus.

IX. Fama vero illius meritò per totum orbem terrarum emanavit, ab externis quoque scriptoribus, supra jam allegatis, insigniter celebrata.

Quod si naturalem potius ordinem juxta seriem temporis quo singula evenere, in oratione observare placeat, primò quadraginta illi anni, quibus in aula Pharaonis Moses vixit, inde quadraginta sequentes, quibus in exilio egit, & tandem ultimi quadraginta, quibus populi Israëlitici dux fuit, animadvertendi, & res in singulis his intervallis gestæ expendendæ & dilatandæ erunt.

Ad primam quadragenam pertinent Mosis majores ac parentes, natalis, conservatio in scirpea fiscella, adoptatio à Regis filia, educatio in aula Regis, & institutio in variis scientiis. Bellum item adversus Æthiopas Pharaonis jussu gestum de quo Joseph. l. 2. Antiq. c. v. Et Eusebius ex Artapano, l. IX. præparationis cap. ult.

Ad secundam quadragenam, referatur, quod I. renuit vocari filius filiæ Pharaonis, & gentem suã liberè est professus.

II. Cæde Ægyptii prolusit liberationi Israelitarum à se præstandæ. Act. VII, 25.

III. Vitæ suæ consulens, & ut futuris temporibus se reservaret fugit ad Madianitas. Neque enim piis Deo confisis omit-

omittenda sunt humanæ prudentiæ consilia.

IV. Regis iram hac fugâ sibi concitatam sprevit, Dei providentiæ innitens. Ad Hebr. xi. §. 27.

V. Exulare maluit, quam peccare. Ep. ad Hebr. xi, 26. Pastoralem in exilio vitam egit, in Philosophia ingenium atque animum exercens & futurum quoque Messiam fide contuens. Ep. ad Hebr. xi, 26.

VI. Principi gentis Madianitarum, ita se in exilio isto probavit, ut ille & filiam daret in uxorem, & tandem unum Deum cum ipso adoraret Vid. Exod. cap. II. v. 21. & cap. XIIX, 10. 11. 12.

VII. Memoriam sui exilii & divini auxilii filiorum nominibus impressit, atque conservavit. Exod. II, 22.

IIX. Ibidem librum Geneseos scripsisse, & ut Hebræos asperrima servitute in Ægypto afflictos solaretur in exemplum patientiæ Iobi librum vel vertisse vel scripsisse, & cum gentilibus suis communicasse putatur.

In tertia quadragena omnium plurima & maxima occurrunt laudum argumenta, primò enim divinitus vocatus, & dono miraculorum, divinæ opis promisso, fratris collegio ad officium Ducis fuit instructus.

Secundò: Decem plagis coërcet Pharaonem, ut populum Israëliticum tandem dimitteret.

III. Transit cum totâ gente sua, per sinum Arabicum.

IV. Legem è manu Dei accipit in monte Sinai.

V. Fœdus inter Deum populumque solenniter sancit. Exod. XIV, 3. & seqq. Ad Hebr. IX, 16.

VI. Cultum divinum & remp. instituit.

VII. Magistratus ejus confirmatur insigniter, seditiosis, igne & terræ hiatu absumtis: Num, XVI.

IIX. Deniqueannos centum & viginti natus, corpore

 atque

atque animo vegetus, ſenſibus integris ſucceſſorem deſignat, & poſtquam Dei juſſu canticum de divinis beneficiis, de futura Iſraelitarum idololatria, atque afflictionibus compoſuiſſet, ac ſingulis tribubus Iſrael benedixiſſet, obiit mortem & à Deo angeli miniſterio ſepelitur, ita tamen, ut Satana licet repugnante, incognitum maneret ejus ſepulchrum, atque hac ratione, populus Iſraeliticus, corpori Moſis, tot miraculis illuſtri, divinos honores conferre excluderetur. Deut. c. ult. §. 5. & 6. Epiſt. Judæ §. 9.

Moratæ orationes plerisque enthymematibus convenientes paſſim interſeri poterunt, hujusmodi, quæ Dei reverentiam, providentiæ divinæ agnitionem ac cultum, operum illius admirationem, fidem in ipſum immotam, erga beneficia divina gratum animum, pium legibus obſequium in dicente arguat.

Affectus tempeſtivè cieri hic debebunt, metus iræ divinæ, amor Dei, odium peccati, & contumaciæ, æmulatio piorum operum. Quæ quomodo oratione excitari in animis aliorum queant, docetur. 2. Rhet. IV, V. & XI capitibus.

Epilogus ad virtutum Moſis admirationem excitet auditores, & ſimul oſtendat, quantum ſit beneficium, quod ea quæ ex ipſius optimi maximi Dei ore Moſes accepit, nos hodieque in venerabili volumine ipſius perſcripta legere queamus.

XV.

LAUDATIO HERODOTI.

QUi Herodotum laudare conſtituerit, ante omnia Herodotum legiſſe oportet, ex ipſo enim Herodoto Herodotus omnium optimè cognoſcetur. Ex antiquis de eodem ſcripſerunt Dionyſius Halicarnaſſeus, in reſponſo ad Cn. Pompeii epiſtolam & in judicio de Thucydidis hiſtoria, Plu-

Plutarchus peculiari commentario, Photius in Bibliotheca sua §. 60. E recentioribus Henr. Stephanus peculiari apologia pro Herodoto, item Gerardus Vossius in libro de Hist. Græcis.

Exordium è secundo procemiorum demonstrativorum loco l. 3. Rhet. XIV, 18. duplici enthymemate ostendat decere, ut in cœtibus nostris illustrium virorum, qui scriptis suis nos erudiunt, memoriam celebremus, hoc enim, 1. grati animi est, & 2. excitat nos ad illorum lectionem, studiis & vitæ nostræ longe utilissimam. Prima periodus, conclusionem utrique enthymemati communem contineat, sequatur duplex illa minor, periodis totidem pluribusve. His subjungatur propositio, qua de patre Historiæ Herodoto te dicturum promittas.

Confirmationis partes sunto tres, in prima, historiæ Herodoti argumentum breviter narretur, idemque amplificetur 1. è secundo loco amplificationum 1. Rhet. IX. §. 57. *Si primus &c. Exstiterunt equidem & ante Herodotum, qui Persicas res in literas referre sunt conati, ut Dionysius Milesius, Hellanicus Mitylenæus, Charon Lampsacenus, sed horum scripta tenuia fuerunt & minus ornata. Primus Herodotus & luculenter & politè hoc argumentum tractavit. Idque jam olim Theophrastus, acer scriptorum censor judicavit, cum ab Herodoto, primum historiam commotam testatus est, ut auderet uberius, quam superiores, & ornatius dicere.* Refert Cicero in Oratore ad Brutum c. XII.

Secundò è primo amplificationum loco, l. 1. Rhet. IX. §. 57. *Si solus &c. Ex omnibus qui post eum vixerunt, scripseruntque, uni illi Persicorum regum memoriam debemus. Unus ille, quæ de Babylone sacri vates Veteris Testamenti prædixerant, ita evenisse luculenter est testatus, quæ quidem perpetuis tenebris essent damnata, nisi ille servasset.*

Tertiò ex octavo amplificationum loco 1. Rhet. IX. §. 60 præferatur aliquot celebribus historicis, Thucydidi ob perspicuitatem, T. Livio ob veritatis studium, & quod nihil blanditur Græcis suis, ut Livius Romanis. Vid. Dionys. Halic. loco citato.

Quartò, è loco assumto generis deliberativi, 1. Rhet. VII, 16. *Cujus privatio maior. Multo majus damnum foret, Herodoti libros periisse, quam Tullij aut Senecæ, quin Platonis & Aristotelis. Philosophicæ & Oratoriæ res deperditæ humano ingenio iterum queunt inveniri. At historia si semel intercidit, nullius ingenij ope restitui potest.*

Quintò, Herodotus historiæ suæ recitatione, excitavit Thucydidem ad simile studium, ut memorant Photius, Suidas, Marcellinus.

Epilogus summam laudum Herodoti breviter colligat, & ad utilissimi scriptoris lectionem cohortetur.

XVI.

VITUPERATIO THEMISTOCLIS.

THemistoclis vitæ cursum, cognoscere licet, ex Herod. libb. VII. & IIX, è Thucydidis libro Imo Diodori Sic. lib. VI. è Plutarchi libro peculiari de Themistocle & denique è Cornelio Nepote aliisque.

Modus vituperandi ab Aristotele nostro 1. Rhet. c. IX. §. ult. breviter indicatur, nempe si propositiones de honesto, magno numero illic perscriptæ mutentur in contrarias.

Utriusque hujus & vitæ Themistoclis & modi vituperandi diligens præmeditatio expeditiorem faciet scriptionem.

Exordium è l. 3. Rhet. c. XIV. §. 8. & 9. Ostendat utile esse magnorum virorum dedecora, in apricuum proferre, ne vi-

ne videlicet splendor nominis illorum ad paria nos invitet opprobria.

Confirmationem ordiatur morata oratio, qua *meritis viri laudibus nihil te detractum cupere contesteris, unum enim illius praeclarum factum in bello, & alterum in pace esse in confesso, nempe, pugnam Salaminiam, & munitionem Athenarum. Caeterum si vitam ejus omnem à natali ad emortualem expendas, diffiteri haut possis plenam esse turpitudinum.* Hoc demonstraturus, attendat ad generis demonstrativi, tres generales propositiones, quae extant l. 1. Rhet. c. IX. §. 6, 15. 16. Etenim 1. vitia Themistoclis, 2. vitiorum causae, 3. vitiorum signa atque opera hanc turpitudinem abundè demonstrant. Primo itaque ad secundae hujus propositionis ductum, genus, & indoles & educatio Themistoclis vituperentur. Ab his enim fere principiis vitia promanant. *Quod genus attinet, spurius fuit, natus obscuro quodam ultimi nominis cive Neocle eiusdemque scorto Thracio.* Plut. in Themist. c. 1. *At verò è squilla non nascitur rosa nec hyacinthus, ut est apud Theognidem, neque imbellem feroces progenerant aquilae columbam.*

Educatio & prima adolescentia par natalibus fuit, de quo adite Valer. Max. l. 6. c. 9. Plutarch. in Themist. c. 2. & 3. & in de ferâ numinis vindictâ c. 12. & apophtegmate 56.

Valuit equidem ingenio, sed eo ad turpes voluptates, ad ambitionem, ad avaritiam, ad proditionem est abusus. Hic in thesi ostendatur hominem ingeniosum & malum multo esse perniciosiorem, quam hebetioris ingenij, sed probi animi virum.

Secundò, è prima & tertia propositionibus demonstrativis jam citatis è 1. Rhet. IX, 6. 16. vitia ejus & vitiorum signa atque opera enumerentur, amplificenturque. *Intemperantiâ tantâ erat, ut spretis liberalibus studiis continuè potaret, baccharetur per forum, scortaretur, & tam profligatè viveret, ut*

ret, ut pater eum exhæredaret, mater verò ob id suspendio vitam finiret &c.

Ambitionem ejus arguit, quod adolescens primas in rep. affectavit, populum concitavit contra optimates &c. Aristidem ex urbe ejecit, non id spectans quod optimum, quod justissimum esset, sed suæ tantum gloriæ serviens. Plutarch. c. 8. & seqq.

Avaritiam & sordes: quod cibos sibi missos vendidit, quod cum ne tria quidem talenta haberet ab initio, postea ultra centum possedit, quæ justo judicio in ærarium publicum tandem sunt redacta &c.

Perfidiam suam ostendit mendacio, quo Lacedæmonios circumvenit, maximè autem patriæ suæ proditione, & ad regem Persarum defectione. Plutarch. in vita cap. XL. & XLI. Diod. Sic. l. XI. c. 54. & 55.

Moratum erit si virtutes vitiis istis contrariæ, suis quæque locis laudentur, & singularum pulchritudo ita commendetur, ut dicenti illas cordi esse ex oratione appareat.

Affectus hic cieri opportunus fuerit odium adversus enumerata vitia, & adversum eos qui his sunt inquinati, Vid. l. 2. Rhet. IV. §. 38.

XVII.

LAUDATIO THEMISTOCLIS.

EXordium è primo demonstrativorum procemiorum loco (l. 3. Rhet. c. XIV. §. 6.) vituperet eos qui humanitatis immemores, paucos aliorum errores operose reprehendunt, eorundem verò magnas ac multas virtutes, aut silentio premunt aut maligne laudant.

Partes fidei duæ sunto, prima confutet ea quæ Themistocli superiori oratione sunt objecta, ex præcepto Aristotelis l. 3. Rhet. c. XVII. §. 24.

Genus equidem Themiſtoclis obſcurum fuit, at virtus clariſſima. Præſtantius autem eſt propria virtute viti, quam gloriâ majorum. Dilatari poterit, tum è propoſitionibus quæ extant l. 1. Rhet. VII, 25, 39. 52, & cap. IX. §. 44. 57 Tum ſapientum ſententiis, quæ virtutem generi longè præferunt. Pertinet huc inter alia ſcitum Iphicratis dictum apud Plutarch. apophthegm. 46.

Fuerit Spurius, at tales quoque fuerunt Hercules, Æneas, Homerus, Romulus, Alexander M. aliique &c. atque eo vel maximè oſtenditur viri virtus ſi nec improborum parentum exemplo de ſtatu dimoveatur.

Educatio ſi recta non fuit, vitium eſt parentum, at Themiſtocles eo laudabilior, quod non obſtante prava educatione, tamen ad frugem pervenerit. Hoc enim maximè arduum eſt, & generoſæ mentis minime fallax ſpecimen.

Inde vitia ei objecta excuſentur, *intemperantia quidem quod illam emendaverit, ſiccus & ſobrius poſtea redditus &c.*

Ambitio autem & avaritia è locis qui habentur, l. 1. Rhet. c. 9. §. 37. & ſeqq.

Defectionis crimen diluatur, è l. 3. Rhet. XV. §. 5. & 8. *Neceſſitas enim fugam ſuaſit, & idem integra fama, multi alij fecerunt.*

Altera pars fidei laudet è ſecunda propoſitione demonſtrativa 1. Rhet. IX §. 15. ingenium, animum, doctrinam, induſtriam, exercitationem Themiſtoclis.

Et primò quidem, ingenio maximè valuiſſe liquet 1. teſtimonio Thucydidis & Corn. Nepotis c. 1. §. 4 2. ex argutа interpretatione oraculi Delphici, Corn. Nep. c. 2. §. 6. & 7. 3. quod intra anni ſpatium literas ac ſermonem Perſarum ita didicit ut multò commodius apud Regem verba faceret, quam hi poterant qui in Perſide erant nati, Nepos. c. x. §. 1.

4. singulorum civium nomina memoriter recitare potuit. Plutarch. in vit. Themist. c. ix. Denique argutè dicta ingenii acumen arguunt. Legite illa apud Plutarch. in vit. Themist. c. 32. item in apophtegmatibus.

Secundò animus Themistoclis generosus apparuit primo cum contumeliâ exhæredationis non fractus, sed ad virtutem erectus est. Nepos. in vit. Themist. c. 1. §. 3. 2. unus omnibus resistere ausus est cum mare relinquere & terra dimicare ceteri cuperent. Nepos. c. iv. §. 2. item cum pecuniam publicam è metallis collectam, & dividi inter magistratus solitam, ad triremes parandas converti debere contenderet Plut. c. vi. & Nepos. c. 2. §. 2. 3^tio. muros Atheniensium cum maximo periculo suo invitissimis Spartanis construxit Corn. Nepos. c. vii. Plut. c. xxxiii. 4to Ad Miltiadis tropæum lacrymatus est. Plut. c. iv. Cic. quæst. Tuscul. lib. iv. cap. 19.

Quod (3.) ad doctrinã ejus attinet Musicam equidẽ non didicit, sed Politicam. (Plut. c. 2.) Oratoriam, & scientiã militarẽ.

Quartò, Virtutis efficiens in ipso fuit, industria singularis, de qua vid. Nep. in vita Themist. c. 1. §. 3.

Denique quintò exercitatio, virtutis & ipsa parens, Themistocli vel maxime fuit curæ, tum in judiciis privatis, tum in concionibus & deliberationibus de rep. inprimis autem in re bellica.

His oratoriè explicatis porro è prima & tertia propositione demonstrativâ virtutes & virtutum ejus opera atque signa afferantur, atque è locis sæpius citatis amplificentur.

Virtutes ejus præcipuæ fuerunt 1. prudentia tam in pace quam in bello, 2. fortitudo, 3. justitia, 4 patriæ ejusque concordiæ amor ac cura, 5. modestia &c. Has vero virtutes in Themistocle fuisse ex operibus & signis harum virtutem osten-

ostendendum atque amplificandum erit. Ita enim docet Rhetor noster. l. 3. Rhet. cap. xvii. §. 4.

Opera autem & signa istarum aliarumque virtutum in Themistocle fuere, quod prævidit pugnam Marathoniam, non finem belli Persici, sed novum initium fore. Plutarch. in vit. cap. 4.

II. Pugna ac victoria Salaminia, omnium est præclarissimum virtutis illius opus, in qua Xerxen bis elusit & consilio, prudentia, animi magnitudine atque modestia sua potius quam Græciæ armis, Græciam liberavit.

III. Portuum & murorum exstructio provida, quantum etiam pace Themistocles polleret, demonstravit, vid. Nep. c. vi. §. 1. & 2.

IV. Prætor Simonidem Ceum, iniquum quiddam tentantem, arguto verbo rejecit, quod vid. ap. Plut. in vita Themistoclis c ix. Arguit autem hoc quam justitiæ tenax fuerit Themistocles.

V. Intestina Græciæ bella sustulit, quod patriæ amorem atque curam vel maximè ostendit, nihil enim saluti reip. magis est adversum atque perniciosum, quam discordia civilis. Nihil bonum civem virumque tam decet, quam semina dissensionum tollere atque fibras istas perniciosas evellere, vid Plut. in vita Themistoclis c. xi.

VIto Modestiæ Themistoclis specimina insignia recensentur à Plutarcho in vita c. xii. & xx.

Denique invidia quâ cives sui eum sunt prosecuti. & præmia ab æmulis Lacedæmoniis illi tradita, de quibus Plut. in vita c. xxx. & tandem Regis Artaxerxis favor atque benignitas satis amplum virtuti ejus præbent testimonium.

Mores suos ostendendi hic passim obvia Oratori est occasio, dum vel diluuntur Themistocli objecta, vel ejusdem

virtutes dilaudantur. Ad singula enim ista capita quid sentiat orator, quid animi ipsimet sit demonstrare erit opportunum.

Ex affectibus æmulatio commodè hic excitabitur quod quî fieri ex arte possit ac debeat, docetur, 2. Rhet. XI.

Epilogus è 2do & 4to loco perorationum Aristotelico 3. Rhet. XIX. §. 7. & 9. breviter colligat laudes Themistoclis, & magnitudinem atque pulchritudinem illarum imitationi nostræ proponat.

XIIX.
LAVDATIO ROMANÆ MORVM CENSVRÆ.

DE Romanorum publicâ morum censurâ legendi sunt ex antiquis Plutarchus in Catone majore cap. XXX. Livius passim, Valer. l. 2. c. 9. A. Gellius l. 4. cap. 12. & 20. & l. 7. c. 22. Florus l. 1. c. 18. §. 22. Dio Cassius l. 40. p. 146. & lib. 54. ab initio. Ex recentioribus Lipsius in de Magistratu Romano cap. 4. & IV. Polit. 11. Alexander ab Alexandro l. X. cap. 13. Wolfgangus Lazius Commentar. de repub. Rom. lib. 2 c. 12. Petrus Gregorius Tholosanus in Syntagmate Iuris l. 47. c. 16, & lib. 4. de repub. c. XII. Petrus Crinitus l. 4. c. 3. & lib. 20. c. 9 Scipio Amiratus in Tacitum l. XI. c. 2. Carolus Sigonius lib. 1. de jure civium Romanorum c. 14.

Exordium è primo demonstrativorum prooemiorum loco l. III. Rhet. c. 14. laudet breviter, Romanos à studio omnis virtutis, quod cum aliunde tum vel maximè ex instituta morum censurâ eluxit.

Confirmatio habeat partes tres, in quarum primâ Censorum institutio, officium, dignitas è citatis autoribus narretur, & è locis Rhetoricis supra sæpius memoratis amplificetur. In secundâ parte exempla Censuræ severius actæ recen-

censeantur. In tertia, comparatio instituatur Censuræ Romanæ cum veteri Græcorum & hodierna nostra Ecclesiastica atque Academica, iisque multum præferatur.

PARS I.

ROmani ergo (verba sunt Plutarchi in Catone majore c. 30) *neque nuptias cujusquam, neque liberorum procreationem, neque victus rationem, neque convivium, examinis & judicij immune singulorumve hominum voluntati aut cupiditati liberum relinquebant, verùm rati in domesticis hisce rebus certiùs, quam in publicis & omnium conspectui expositis actionibus, uniuscujusque mores conspici, constituerunt duos viros, unum patricium, plebejum alterum, qui in observando, castigando, plectendoque curarent, ne quis à Romanâ & consueta vitâ per voluptates diverteret. Hi Censores dicebantur, quibus licebat aut equum adimere aut senatu eiicere, si quis intemperanter vixisset &c.* Hactenus Plutarchus. Plebejos verò, (quod Plutarchus hic omittit, at alij retulerunt) si delinquerent, iidem Censores aut tribu movebant, aut faciebant ærarios, h. e. aut ex honestâ tribu, rusticâ videlicet, in minus honestam, urbanam, rejiciebant, suffragii ferendi jure privabant, ad hoc tantum in civium numero relictos, ut tributi nomine æra penderent. Gellij verba sunt lib. IV. Noct. Att. cap. 12. *Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque araverat, neque purgaverat: sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non id sine pœnâ fuit, sed erat, opus Censorium, Censoresque ærarium faciebant. Item si quis eques Romanus, equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur &c.* Hæc Gellius. E duobus istis locis narratio prædicta, sed verbis commutatis contexi à studioso oratoriæ poterit.

Sequi-

Sequitur ut ostendamus quomodo amplificari ista debeant, rerum enim narrationi proximum est adjungere magnitudinem & pulchritudinem, ut docetur l. 1. Rhet, IX.64 & 3. Rhet. XVII. 14. Amplificationes autem nihil aliud sunt quam enthymemata, quæ demonstrent rei magnitudinem, 1 1. Rhet. ult. § 3. Horum principia aut ingenio sunt excogitanda aut ex Rhet. locis sæpius memoratis petenda. Enthymemata ergo hujusmodi hoc loco erunt ista:

I. *Magnum est & prædicatione dignum, quod populus perpetuis bellu districtus, domesticis tamen civium moribus formandis, & ut hi æquanimi mariti, boni patresfamilias, providi parentes essent, seriam adeo curam adhibuerit &c.* E loco amplificationum qui extat lib. 1. Rhet. IX,44.

II. *Liquet ex instituta morum Censura, præclarè intellexisse Romanos, quantum mali, è civium luxu & perversis moribus ad ipsam rempub. redundaret.* De hoc argumento adi Piccartum, ad lib. V. Polit. Aristot. cap. VI. p. 721.

III. *Eadem indicio est non fugisse sapientissimos hos viros, multa in civitate committi, quæ bonorum oculos offendant, nec tamen, vel legis, vel judicis, vel accusatoris defectu in judicium veniant. Hujus modi autem vitia Censoriæ animadversionis erant &c. Certum signum prudentiæ.* Signa autem virtutis inter laudabilia sunt l. 1. Rhet. IX,16.

IV. *Aptè verò hanc curam illis demandarunt Romani, qui facultates civium censebant. His enim quantum sumtuum ferre quisque posset perspectius erat.* Principium hujus amplificationis extat l. 1. Rhet. VI,93.

V. *Etiam illud prudenter factum, quod duobus arduum hoc negotium commiserunt. Unus enim potestate sua facilè abutitur, & minus cum videt tum potest in his quæ ad publicam pertinent salutem.*

VI. Ma-

VI. *Magnæ prudentiæ & illud argumentum erat, quod non nisi optimè meritis & spectata virtutis atque autoritatis viris hic magistratus deferebatur. M. Cato sanè decimo demum à consulatu anno, Scipio Africanus non nisi post victum Hannibalem, Censores facti sunt.* Plutarch. in Catone majore cap. 31. Livius l. 32. cap. 7.

Enthymematibus his opportunè interponentur moratæ orationes quibus luxus detestationem, frugalitatis verò & omnis virtutis amorem singularem præ se ferat orator.

Secunda pars orationis exempla Censuræ severiùs actæ è laudatis scriptoribus commemoret & amplificet. Primum exemplum esto illud Cassij Longini & Cæpionis Censorum, qui Lepidum Æmilium augurem, quod sex millibus ædes conduxisset adesse jusserunt, ut est apud Vell. Paterc. lib. II. c. 10. Amplificatio hujus exempli inde peti potest, primò, quod non tantum in infimi nominis cives sed & in summos Censura exerceretur. Secundò: quod Auguri Lepido tanti habitare non liceret, quanti ævo Velleij Paterc. vix habitaret Senator. Hinc enim & prisca frugalitas & ævi posterioris luxus apparet. Tertiò: Rectius norant Censores viri hujus facultates & melius illi consulebant, quam ipse sibi, qui tamen Deorum internuncium se profitebatur.

Secundum exemplum, Cornelij Ruffini à Censoribus Senatu moti, quod haberet decem libras argenti facti. Gell. lib. IV. c. 8. Valer. Max. lib. II c. 9. Liv. epitome lib. XIV. Amplificabitur inde, quod ne summo quidem huic viro Censoria severitas pepercit. Erat sanè Ruffinus manu strenuus, & bonus imperator, bis consulatu, bis Dictaturâ functus. Idem habebat opes illas nulli detractas, nec alieno sanguine cruentas, sed labore suo sibi partas. Tertiò: Merito itaque M. Cato apud Senecam de vitâ beatâ, cap. 21. illud se-

culum laudat, in quo Censorium crimen, erant paucæ argenti lamellæ &c.

Tertium exemplum, M. Porcij Catonis, qui Manilium Senatu movit, quod is inter diu filia vidente uxorem esset osculatus, ut est apud Plutarch. in Catone Majore cap. 34. Amplificetur, 1. Quia severitas hæc est sine exemplo, 2. non ædes nec supellectilem sed ipsam conjugum conversationem spectat.

Quartum exemplum, ejusdem Catonis, qui in Censura sua, pretia earum rerum quæ luxuriæ instrumenta erant, decuplo auxit, ut commemorat idem Plutarchus loco citato. Estque hoc singularis sapientiæ viri signum luculentum, dum per ambages efficit, quod recta viâ impetrare non poterat.

Quintum exemplum esto Scipionis posterioris, qui juveni cuidam equum ademit, quod eo tempore quo Carthago oppugnabatur opipare epulatus, mellitam placentam Carthaginis instar (quod nomen etiam illi indiderat) sodalibus proposuisset diripiendam. Memorat Plutarch. in Apophthegmatibus cap. 22.

Cetera exempla, dum vel ob prædia nimium sumtuosa, vel ob ferreos annulos gestatos, vel ob strigosos equos, vel ob incompositos in judicio mores, vel ob verbum temere jactum &c. ordine suo moti sunt, strictius comemorentur.

Illud reticendum non est, Censores interdum ne fratribus quidem pepercisse, tantum abest, ut propinquis aliis commissa indulserint. Fulvius sane Flaccus, Censor, ipsum fratrem suum, & quidem domesticum, quia legionem in qua Tribunus militum erat injussu Consulis dimiserat, è Senatu movit, ut narrant Vellejus Paterc. l. 1. c. 10. Liv. lib XLI. c. 27. Frontinus lib. IV. Strategematum cap. 1. §. 32.

Exem-

Exemplis istis interponere memineritis moratas orationes, quæ singularum ex his exemplis elucentium virtutum amorem ac studium dicenti cordi esse ostendant.

Tertia pars comparationem instituat, & primo Romanos Græcis præferat, quippe qui hujusmodi morum Censurâ publicâ destituebantur. Comœdia quidem, vetus præsertim, quædam civium vitia correxit, sed nimiâ licentiâ optimos quoque & innoxios lacessivit, ut Periclem, Socratem aliosque. Qua de re vide insignem locum Ciceronis, inter fragmenta lib. IV. de rep. ab August. de civitate Dei l. IX. cap. 9. nobis servatum.

Deinde cum nostris rebus pub. Romanam ita conferat: *Nos Christiani, illi gentiles erant. Illi ductu solius rationis, nos Dei ipsius monitu regimur: Nos æterni præmij spes manet, illi beatæ immortalitatis ignari fuerunt, atque exsortes: & tamen multo accuratior apud illos quam apud nos in civium mores viguit animadversio.* Hoc demonstretur digressu per exempla superiora: *Ecquis enim in regnis, provinciis aut civitatibus Christianorum vel ob ædium splendorem nimium, aut ob suppellectilis copiam, aut ob lusus adolescentum, aut ob epulorum lautitias, aliave hujusmodi, à magistratu plectitur? &c.*

Deniq; addatur invectiva in malos mores hodiernos ad exemplum comparationis Tullianæ in Oratione pro Lege Manilia cap. V. ubi ait: *Majores vestri sæpe mercatoribus injuriosius tractatu &c.* Quæ invectio ut cum animi motu instituatur, è lib. II. Rhet. cap VI. adhibeantur propositiones, pudoris affectui concitando accommodatæ.

Epilogus breviter repetat laudes Romanæ reip. & moratâ oratione, se non seculi nostri contemtu, sed admiratione vetustatis & boni publici causa ista omnia protulisse sanctè asseveret.

XIX.

LAUDATIO SCIPIONIS AFRICANI POSTERIORIS.

Scipionem hunc laudaturus primum omnium dicta & facta ejus cognoscat ut Aristoteles præcepit l. II. Rhet. XXII. §. 9. & 13. Recensuerunt illa sparsim Plutarchus in Paulo Æmilio & Apophthegmatibus, Cicero in Bruto, in Lælio, lib. 1. Tusc., lib. 1. ad Quintum fratrem, lib. 2. de Oratore, Livij epitome c. 35. & seqq. Sextus Aurelius Victor cap. LIIX. Gellius passim, Valerius Max. passim. Vell. Paterc. l. 1. c. 13. Appianus, in Ibericis & Lybicis, Paulus Orosius lib. IV. Eutropius lib. IV. Justinus lib. 38. E quibus omnibus justam vitæ Scipionis hujus historiam, patrum memoria, concinnavit Carolus Sigonius.

Secundo loco notetur ex Aristotelis primo Rhetoricorum cap. IX. §. 63. & seqq. enthymemata in demonstrativo genere ejusmodi adhibenda esse qua magnitudinem ostendant.

Procemium è l. 3. Rhet. c. XIV. §. 8. *Magnorum virorum dicta factaque sibi & aliis in memoriam revocare, haut exiguum est virtutis adjumentum &c. In Ephesiorum literis praceptum fuisse narrat M. Antoninus Imperator in vita sua, quod jubebat quotidie reminisci alicujus ex antiquis, qui virtutem coluissent &c. Date hoc mihi ut hodierno die Scipionis Æmiliani memoriā celebremus. Dicam autem primò de Scipionis hujus studiis literarum, secundò de rebus bello, tertiò de rebus pace praclarè gestis.*

PARS PRIMA.

E secunda propositione demonstrativi generis lib. 1. Rhet. c. 9. §. 15. per præteritionem : *Non dicam de genere hujus viri, quanquam illud haud parum ad virtutem facit, & Scipioni claris-*

clarissimum fuit. Nihil enim Romæ gente Æmilia, è quæ natus, nihil familia Scipionum, in quam adoptatus, illustrius fuit &c.

Inde è prima propositione demonstrativa l.1.Rhet.c.IX. §.6. *Cæterum virtute decet non sanguine niti &c. Itaque ipsummet virum qualis quantusque fuerit videamus.*

Ingenuis disciplinis & honestis artibus, cura providi parentis fuit institutus (ex Plutarchi Paulo Æmilio cap.IX.) *inprimis eloquentia, quæ illa tempestate expedita erat ad honores civiles via. Item Græcis literis, quarum ut nostro ævo rarior tum erat Romæ cultura. Literas autem Romani non ad pompam, sed ad usum discebant, itaque maturè in publico dicere & pacis bellique functionibus admodum adolescentes interesse consueverant. Scipio quidem septendecim annos natus in bellum Macedonicum contra Perseum comitatus est parentem, ut quæ ex libris didicerat, in rem conferret.* Vide Caroli Sigonii Scipionem Æmilianum num.5.6.7.

Adultior & sui iuris factus, adolescentiæ studia nequaquam fastidivit, sed mirifice colere perrexit; cujus rei illud argumentum est, quod nemo Romæ ingenij & doctrinæ laude paulo celebrior extitit, cujus Scipio non aut familiaris, aut non assiduus auditor esse cupiverit. Hic enumerentur quæ de Scipionis cum C. Lælio, cum Panætio, cum Polybio, cum Terentio familiaritate, locis ab initio citatis, Cicero & Vellejus, tum in vita Terentii Donatus retulerunt. *Nec domi tantum sed & foris atque in ipsis castris, viros secum eruditos habuit iisque usus est,* ut Panætium & Polybium, de quibus Vellejus loco citato & Ammianus Marcellinus l.XIV.

Ex mortuis doctoribus maximè delectatus est Xenophonte. Cic. ad Quintum fratrem l.1. ep.1. c. 8. & l. 2. Tusc. quæst. cap.penult. Addatur elogium Xenophontis.

A doctrinâ Scipionis pulcherrimæ ejus virtutes emanarunt, quas compendio enumeratas vide ap. Sigonium n. 60. & seqq.

 SE-

SECVNDA PARS.

Bellicarum virtutum specimen exhibuit primum in Hispaniâ, sub Lucullo. Sigonius num. 14. Deinde in Africâ sub Manio Manilio Consule, Sigonius ibid. num. 16.

Tum suo ductu in Africa, cum Carthaginem evertit, Sigonius ibid. num. 19. & seqq.

Demum ad Numantiam, quam & ipsam subegit, Sigonius num. 45. & seqq.

TERTIA PARS.

Pacis artes, quam calluerit, ostendunt legatio ad Mausinissam de qua Sigonius num. 18. Item legatio in Ægyptum, Syriam, Asiam & Græciam ibid. num. 35. Censura ejus ibid. num. 37. & seqq. Sententia in tumultu Gracchano ibid. num. 58.

His subjiciatur narratio excessus ejus, de quo idem Sigonius libro toties laudato num. 39.

Epilogus perbrevem ἀνακεφαλαίωσιν contineat virtutum Scipionis & affectum æmulationis excitet è lib. II. Rhet. cap. XI.

XX.

ROMVLI VITVPERATIO.

Romuli res præter Florum luculenter descripsere Dionysius Halicarnassensis lib. 1. cap. 88. & seqq. & lib. 2. cap. 1. & seqq. Livius l. 1. c. 1. Plutarch. libello peculiari, & è recentioribus Albericus Gentilis lib. 1mo de armis Romanis cap. 2.

Exordium è loco qui extat lib. 3. Rhet. c. 14. §. 10. veniam sibi dari petat, si Romuli variam injustitiam demonstrare instituens, id dicat, quod sit auditorum præconceptæ de hoc viro opinioni fortasse adversum. *Solius enim veri-*

ratis

ratis amore se adduci. Morata oratio procemio convenit, talis autem est, quæ fabulis spretis, rerum veritatem se indagare, & in precio habere fidem facit.

Propositio : *Longè alius atque vulgo existimatur Romulus fuit, Spurius, Latro, parricida, contemtor Deorum, & ut paucis multa dicam, improbus ac injustus.*

Primum enthymema: *Spurius fuit. E. illaudabilis:* Hoc enthymema è secunda propositione demonstrativa lib. 1. Rhet. c. 9. §. 15. & 67. versa in contrariam est petitum. Impuri enim natales magnorum vitiorum fomites sunt. Stupro genitum fuisse Romulum non obscurè innuunt autores. Dion. Halic. l. 1. c. 78. Plutarchus in Romulo c. 5. in fin. Liv. l. 1. c. 4. Justinus l. 43. cap. 2. Amplificari tripliciter potest. Primò; *Non è vulgari stupro, sed ex incestu natus fuit Romulus, è magno scilicet patruo suo Amulio.* Secundò *è virgine Vestali.* Tertiò, *ad Deum relato crimine.*

Secundum enthymema : *Latronum manipulo collecto, ipse dux, alienum agrum occupavit, in quo urbem conderet.* Hoc factum fuisse & probandum erit, & amplificandum, ut præcipitur lib. 3. Rhet. XVII, 4. Romulum servorum ac desertorum turbam secum habuisse, narrat Plutarchus in Romulo cap. XII. Alienum agrum occupasse inde constat, quod nihil ipse habebat proprium. Amplificetur è loco comparationis l. 1. Rhet. c. IX. §. 60 . *Condiderunt & alij urbes, ut Theseus Athenas, Teucer Salamina, sed in suo agro, nec latronum, sed civium suorum manu stipati.*

Tertium enthymema : *Asylum aperuit, in quod facinorosissimum quemque recepit, ita, ut neque dominus servos fugitivos, neque æris alieni causa nexos creditoribus, neque homicidas magistratui dederet &c.* Quod hoc & sit factum, & quale illud sit, ac quantum porro venit ostendendum, monitu Aristote-

lis

lis l. 3. Rhet. c. XVI. §. 2. Factum esse, liquet è scriptoribus supra citatis. Quale, hoc est, quam injustum, & quàm turpe illud sit, è morali philosophia demonstratu obvium est. Magnitudini ostendendæ serviunt propositiones capitis VII. lib. 1. Rhet. Cumprimis vero illud, quod crimini huic suo, Romulus Deum prætexuit. Pythiæ enim oraculo omnibus hujusmodi sceleratis convenis impunitatem confirmari Romulus fingebat, ut refert Plut. c. XII.

Quartum enthymema: *Ut solus regnaret innocentem fratrem occidit, causam frivolam prætexens, quod nova mœnia transiliret.* Quale verò & quantum hoc sit crimen, itidem è morali philosophia; & locis amplificationum Rhetoricis, toties jam allegatis, demonstrare hîc erit opportunum. Adite Ciceronem lib. 3. off. cap. 10. Aug. de Civ. Dei l. 3. cap. 6. Horatium Epod. Od. 7. *Patrato sanè scelere magnitudinem illius Romulus ipse intellexit, adeo ut, quin ob id manus sibi inferret, parum abfuerit,* Dion. lib. 1mo cap. 90.

Quintum enthymema: *Rapuit Sabinas.* Hic primò causæ negati à finitimis matrimonii tanquam legitimæ, è laudatis autoribus memorentur, nempe 1mo. quod convenæ isti, vilissimi essent, scelerati, servi, homicidæ, transfugæ, obærati, ac inter hos vix centum, qui patrem suum nominare possent, 2do. quod potentiam illorum jam tum suspectam non sustinerent augere. Inde raptus Sabinarum ipse narretur, sed ita ut Romuli fraus & iniquitas ex ipsa narratione elucea t. Narrationi huic subjiciantur argumenta, quibus jura divina, gentium, hospitii, violata esse demonstretur, dum Consi Dei consilium & sacra spectaculorum sceleri prætendit, dum desponsatas, destinatas, maritas, ad se bonâ fide invitatas, parentibus, sponsis, maritis perfidè eripit, &c. Vide Minucii Felicis Octavium pag. 56. Editionis Wowerianæ, item August. l. 2. de Civ. Dei c. 17.

Sex-

Sextum enthymema : *Titi Tatij collegæ sui cædem Romulus procuraſſe videtur, nec enim ultus eſt.*

Septimum : *Bella Fidenatibus, Veientibusque intulit ſola regnandi libidine, quod quidem nihil aliud eſt, quam publicum latrocinium.*

Moratum erit ſi illorum criminum, quorum Romulus hic arguitur ſeriam deteſtationem, & contra virtutum, his adverſantium, amorem ac ſtudium paſſim præ ſe ferat orator, atque hunc ſuum animum, poſt enthymemata pleraque, aptis ſententiis exprimat.

Epilogus enumerata Romuli dedecora eorumque magnitudinem ſtrictim repetat, atque ad odium illorum excitet auditores, ſuamque in ulceribus his tangendis ſinceritatem, & veri ſtudium denuò exponat. Vid. l. 3. Rhet. cap. ult,

XXI.

ROMVLI LAVDATIO.

PRoœmium eos reprehendat, qui famam magnorum virorum amant arrodere, & maledictis ſuis, ſpecioſum nomen ſtudij veritatis prætexunt &c,

Ad primum Romulo objectum crimen reſpondeatur; *Incerto patre natum eſſe, non culpam, non crimen, ſed infortunium eſſe, quod nemo præſtare, & calumniæ expers eſſe debeat. Natales porro ſimiles Herculi, Æneæ, Themiſtocli, Alexandro M. aliisq; ſpectatiſſimis viris haud quaquam obſtiterunt quo minus res magnas gererent.* Adite Voſſii inſtitut. orat. l. 1. cap. v. ſect. 14.

Ad ſecundum : *Romulus urbem in ſolo avi ſui Numitoris condidit inque eam avi permiſſu coloniam deduxit. Vt in alieno ſolo id fieret, non paſſi fuiſſent vicini.*

Ad tertium : *Aſylum per divina & humana jura licet conſtituere, eadem omnibus gentibus, etiam Chriſtianis, ſancta ſunt*

& inviolabilia, nec servus qui in crimen prolapsus fugit domino reddendus est;quod Deus ipse sanxit. Deut. cap.23. §. 15.

Ad quartum : *Remus in turbâ, quam cum aliis ipse concitaverat, est occisus, invito Romulo & plangente.* Ovid. l. 4. Fastorum paulo ante finem.

Ad quintum : *Connubia iniquè negata justa sunt belli causa. Dolus autem an virtus, quis in hoste requirat?*

Ad Sextum : *Titum Tatium non Romulus, sed Lavinienses occiderunt, nec ultio requirebatur, quia cædes illa erat justa.*

Ad Septimum : *Fidenates ipsi bellum concitarunt per rapinas & populationes, Vejentibus verò licebat esse tutis, ni bellum ipsi quoque maluissent.*

De his omnibus legite Albericum Gentilem, lib. 1. & 2. de armis Romanis primis capitibus. Post criminum Romulo objectorum confutationem sequatur laudatio ejusdem, ad hæc capita revocanda, 1mo *autoritate suâ ingentem multitudinem virorum fortium collegit, atque in eos imperium exercuit. Quod sane magnum est, quia rarum, difficile, singularis ingenij, generosi animi, multorum bonorum origo, à præclarâ animos hominum ducendi scientia ortum, à sapientibus dilaudatum, atque expetitum &c.* Omnes hos & his plures amplificationum locos suppeditat cap. VII. lib. 1. Rhet. Aristotelis. Singulis autem immorari & eosdem dilatare oratorem oportet.

Secundum : *Condidit urbem*: Amplificetur è locis jam enumeratis, & pluribus aliis, quos cum citatum caput VII. tum ejusdem libri caput nonum exhibet.

Tertium : *Remp. Formavit ad populi genium, & salutaribus cum pacis tum belli institutis firmavit.* Hæc è Dionysii & Plutarchi locis supra citatis probanda, & è politicis ac locis amplificationum Rhetoricis illustranda sunt.

Quar-

Quartum: *Contra Sabinos, Fidenates, Vejentes bella gessit justa, necessaria, fortiter, cautè atque feliciter.*

Quintum: *Singularis prudentiæ argumentum est, quod bello victos, aut in civitatem suam recepit, aut coloniis immissis obsequio astrinxit.*

Sextum enthymema: *Eo autoritatis est provectus, ut externis admirationi esset, à civibus verò suis divinus haberetur.*

Septimum enthymema: *Condidit regnum, omnia totius orbis terrarum imperia magnitudine sua supergressum, atque divinitus prædictum.*

Octavum enthymema: *Iniquè vero Deorum contemtus illi objicitur, cum satis constet Deorum cultum, inter prima regni sui præsidia habuisse.* Vid. Dionysium lib. 2. cap. 6. & 18.

Nonum: *Tantis rebus gerendis à Deo destinatum, mirum non est, & in infantia, & in regno ipso inter acerrimos hostes divinitus fuisse conservatum.*

Epilogus laudes Romuli breviter colligat, & optimam de urbis æternæ conditore sententiam in animis auditorum aut excitet, aut confirmet.

XXII.

ENCOMIUM CAROLI M.

Caroli M. vitam & res gestas cognoscere licet ex Eginharto, & annalibus Francorum à Petro Pythœo editis. E recentioribus Joh. Henrici Bœcleri, V. Cl. de rebus seculi noni & decimi Commentarius, nuper vulgatus erit instar omniũ.

Exordium Germaniam inde laudet, quod & ipsa summos heroas produxerit, virtute ac fortuna Græcis & Romanis principibus haut quaquam inferiores. Hujusmodi locum exordio demonstrativo inter alios assignat Aristoteles l. 3. Rhet. cap. XIV. §. 6. Tantum eâ re nostri exteris fuere

infeliciores, quod rerum gestarum multò pauciores ac minus disertos nacti sint scriptores.

FIDES.

PRimum enthymema esto de majoribus Caroli, per praeteritionem : *Non attinet imagines majorum hic recensere, quanquam illustres eos habuit; non indiget enim laudis alienae, qui propria est conspicuus. Et genus & proavos & quae non fecimus ipsi, vix ea nostra voco.*

Secundum : *Studia artium liberalium non puer tantum & adolescens, sed & Rex atque Imperator coluit, eorumque doctores, in pretio habuit.*

Dilatetur, 1mo enumeratione disciplinarum, quas excoluit, lib. 1. Rhet. cap. VII. §. 50. *Sunt autem Logistica, Dialectica, Rhetorica, Geographia, Historia, Astronomia, Theologia, & Latinae pariter ac Graecae linguae notitia. His omnibus Carolum operam dedisse, oculatus testis est Eginhartus.*

Secunda amplificatio : *Fuerunt equidem qui literarum & artium expertes, bene tamen remp. gesserunt.* Dio de Trajano lib. 68 *Bonarum artium expers & ignarus fuit, licet verè ea quae ad virum doctum pertinent, intelligere & facere videretur.* Idem de Otrone Imo commemoratur, de quo Vid. Chronicon Spirense Lemanni, pag. 396. *At si naturae ductu interdum res rectè geruntur quanto rectius & felicius id fieri par est, cum ad naturam ars accedit & doctrina.* Huc pertinet locus Ciceronis ex oratione pro Archia cap. 7. *Ego multos homines &c. Itaque hac scientiarum multarum peritia Carolum imperio aptiorem fuisse merito existimabimus* vid. lib. 1. Rhet. cap. VII. §. 23.

Tertia amplificatio : *Carolus itaque & mortuos & vivos adhibuit doctores. Bibliotheca illius magna mortuorum doctorum copia instructa memoratur in ejusdem Testamento, apud Eginhartum.*

tum. Vivi doctores Caroli ab eodem recensentur, in quibus eminet Albinus Alcuinus, cujus elogium vide apud Gerardum Voss. lib. 2. de Hist. Latinis cap. 30. Locus iste amplificationis extat apud Aristot. lib. 1. Rhet. cap. VII. §. 18. *Adeo cupide verò utrisque usus est Carolus, ut ne quidem inter cœnandum abstineret, quo minus aut eruditi familiaris sermone, aut lecti scriptoris auditione, animum simul pasceret.* Testis Eginhartus.

Quarta secundi enthymematis amplificatio; *Ab hoc liberalis doctrinæ exercendæ, & propagandæ studio, profectum est ut conderet Academiam Parisiensem.* Elogium hujus Academiæ legite apud Julium Middendorpium lib. VI. de Academiis p. 358. & seqq. Locus è 1. Rhet. VII. §. 11.

Erit hic opportunum in thesi de bono Academiarum dicere, & fructum qui in Ecclesiam & in remp. inde dimanat prædicare.

Denique moratum erit, & studii veritatis in dicente indicium, si non dissimulet Grammatisticæ tamen, vel artis literas pingendi, ignarum fuisse Carolum, quod non omisit Eginhartus. Hic quam minime vilis, ars sit Grammatistica in thesi ostendatur è Gerh. Voss. lib. de quatuor artibus popularibus cap. 2. §. 3. & lib. 1. de arte Grammaticæ cap. 3.

Tertium enthymema principale, prudentiam Caroli in regni administratione, dilaudet. Vbi primò regni ejus magnitudo, atque limites memorentur. Describit illos Eginhartus p. 327. *Nam cum prius non amplius &c.* Adite & Clarissimi Conringii nostri, de Finibus imperii librum 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 29.

Has tam latè diffusas provincias, acquirere & retinere magnæ molis erat, & exquisitæ prudentiæ. Eluxit illa omnium maxime, 1mo è pietate Caroli & curâ rerum divinarum. Hæc autem quam necessaria ac firma regnorum mu-

nimenta sint è genuina Politica disci & doceri potest. Vide inter alios Lipſ. lib. 4. Polit. cap. 2. Quam vero Carolo ista cordi fuerint liquet ex historia, cujus Compendium vide in citato Clarissimi Bœcleri commentario.

Secundò: eadem prudentia patuit è curâ finium tuendorum, quorum causa *dispósuit per congrua confiniorum loca,* (verba sunt Eginharti) *præsidia, ut coërceret incursiones.* Hæc origo Hamburgi & aliorum ad eundem fluvium, item ad Lippiam, ad Salam. ad Britannicum, Hispanicum, Gallicum, Germanicum Oceanum, & ad Italiæ littus Castellorum. Adhibete laudatum Cl. Bœcleri commentarium p. 8. & seqq.

Tertiò: Eandem prudentiam ostendit amicitia cum exteris regibus contracta, de qua Eginhartus p. 329. *Auxit etiam gloriam regni sui &c.* Fructum hujus rei compendio recenset Bœclerus loc. citato pag. 10.

Quartò: Leges vel maxime arguunt Caroli prudentiam, ut in quibus ipsa salus reip. consistit. De his idem Bœclerus dicendi materiam abundè subministrabit pag. 10. & seqq.

Quintò: Eodem pertinent laudatissima ejus judicia quorum recensio ex historia, amplificatio è Polit. & locis Rhetoricis petenda. Adhibete itaque Contingianam de judiciis reipub. Germanicæ disputationem & Bocleri commentarium toties jam citatum p. 12. & seqq. Lipſ. l. 11. Polit. c. x. & xI.

Sextò: Est & hoc Carolinæ prudentiæ signum haud postremum, quod, quanquam potestas ipsius verè regia erat, tamen crebros procerum instituit conventus, ut cum iis vel communicaret res actas vel deliberaret de agendis, vel solenniter jus diceret. Id sæpius factum docebunt vos, quæ è scriptoribus collegit Bœclerus pag. 14. Quam vero Principi salutare sit proceres adhibere in consilium è civili scientiâ

entiâ hîc erit inculcandum. Inter alios vide Lipſ. l.3. Polit. cap.2. & 3.

Quartum enthymema principale, ſeorſum prudentiam militarem Caroli extollat, hoc ordine: 1mo oſtendatur quam ſit principi neceſſaria prudentia militaris. Enthymemata ſuppeditabit Iuſtus Lipſ. lib. V. Polit. cap. 2. Deinde recenſeantur breviter ex Eginharto bella ab ipſo geſta, nempe Aquitanicum, Langobardicum, Saxonicum, Hiſpanicum, Italicum, Beneventanum, Bajoaricum, Sclavonicum, Pannonicum, Bohemicum atque Danicum.

Porro demonſtretur, quam in omnibus his bellis impleverit quinque illas optimi ducis partes, à Lipſio v. Polit. cap. 15. enumeratas. Sunt illæ: ſcientia, virtus, providentia, autoritas, felicitas, quas pleraſque etiam Cicero in Maniliana Oratione requirit in duce exercitus, & in Pompejo prædicat.

Seorſim vero in Saxonico bello commendetur, 1mò animi ejus magnitudo, qua Saxonum, tam diu tamque pertinaciter reluctantium ferociam & perfidiam tandem expugnavit, 2do prudentia in bello iſto finiendo, dum videlicet per Galliam & Germaniam Saxonas à ſolo ſuo avulſos diſtribuit atque hac ratione tandem perdomuit.

Tertio: Laudetur vel maxime, quod iisdem armis Saxonibus noſtris & dæmonum cultum excuſſit, & Chriſtianæ fidei ſalutarem veritatem eos docuit.

Poſt quatuor iſta præcipua enthymemata quinto & ultimo loco virtutes ejusdem ceteræ, breviter commemorentur, videlicet liberalitas in pauperes, magnificentia in publicum, mixta gravitati comitas, pietas in matrem, amor in ſororem, item in fratrem imperii per biennium conſortem, educatio & diſciplina liberorum, victus ſobrius, & à luxu alienus,

nus, vestitus parabilis, & peregrinitatis expers &c.

Epilogus, quatuor anteriora enthymemata strictim repetat, & quantum Germania atque inprimis Saxonia nostra, principi huic debeat in fine orationis paucis extollat.

XXIII.

CAROLI M. VITVPERATIO.

PRooemium, laudes Caroli M. jucundum ἀκρόαμα fuisse fateatur, suave enim accidisse tam varios vitæ actus, & nunc studiis, nunc reip. nunc bello intentum Regem recolere. Ceterùm ut vitiis nemo sine nascitur, ita & labes hujus Principis haut exiles fuisse, est in aperto. Quæ cum ab oratore anteriori silentio tectæ sint, nunc, citra tamen tanti Imperatoris contumeliam, ac cum veniâ auditorum, breviter ostendentur. Præcipuæ sunt, 1mo injustitia in bellis, 2do crudelitas, 3tio nimius amor peregrinorum, 4to impudicitia.

FIDES.

ORdiatur à morata oratione, quæ neutiquam vituperandi libidine, sed amicæ veritatis studio se adduci, asseveret, ut, post prolixas adeo Caroli laudes, pariter & labes ejus aliquas, historicis minime dissimulatas, breviter recenseat.

Primò itaque strictim repetantur partes laudationis superioris, & veritas illarum, denuo confirmetur, inde pergatur ad capita vituperationum ipsa vid. l. 3. Rhet. c. xv. §. 16.

Primi ergo enthymematis medius terminus esto Caroli injustitia in suscipiendis bellis. Hæc autem & probanda & amplificanda erit. De Langobardico bello, fatetur ipse Eginhartus, *suscipiendi ejus consilium, adeo displicuisse primoribus Francorum, ut se Regem deserturos, domumque redituros liberâ voce proclamareat. Neque vero Langobardi, Carolo nocuerant, sed Papæ Romani precibus adductus, iniqua hæc arma sumserat.*

rat. Saxonici belli frivolam causam Eginhartus memorat, terminos videlicet utriusque gentis in plano contiguos, in quibus cædes, rapinæ, & incendia à finitimis miscerentur. Neque solos Saxones perfidæ vicinitatis autores fuisse, vel è Græcorum in Francos proverbio apparet : *Francum amicum habeas non vicinum.* Extat apud Eginharthum, p. 331.

Amplificetur inde, quod bellum ne ex justis quidem causis temere sit suscipiendum, In quam rem enthymemata Hugo Grotius suppeditabit lib. II. de jure pacis & belli cap. XXIV.

Secundi enthymematis medium terminum præbeat Caroli crudelitas. Præmittatur autem majoris dissimulatæ probatio. Major dissimulata est : *Crudelis princeps est illaudatus.* Probatio hujus afferatur è loco communissimo contrariorum : *Clementia enim prima dos est principum.* Hæc probatio dilatari poterit, è Lipſ. l. 2. Polit. capp. 12. & 13.

Mox enthymematis antecedens exemplis Carolinæ crudelitatis demonstretur. Primò enim Saxones 4500. uno die ad Verdam oppidum decollati sunt. Annales Francorum Monachi Benedictini anno Christi, 782. p. 95. & Pithœani p. 246 item Reginonis ad annum 782.

Augeatur inde, *quod deditit ij essent, à rege Widekindo inducti, supplices, & veniâ impetratâ benevoli ac fideles futuri.*

Secundò *Thuringi, qui in Carolum conspiraverant, crimen confessi & ad fidelitatem jurandum circum loca sacra dimissi, in reditu exilio, cæcitate, publicatione bonorum, contra fidem, atrociter sunt mulctati.* Annales Francorum à Cl. Bœclero p. 4. citati. Annales Pithœani p. 11.

Tertiò *Fastradæ uxori indulsit sævire in innoxios.* Eginhartus p. 340.

Tertium enthymema principale, *reprehendat primum amo-*

amorem atque cultum peregrinorum, de quo Eginhartus p. 341.

Dilatetur demonstratione hujus theseos, *cives peregrinis à principe anteferendos esse, nec regni opes in exteros esse profundendas.*

Quarti enthymematis medius terminus esto, Caroli impudicitia, quæ partim è nuptiis quinquies repetitis, partim verò & omnium maxime ex octo concubinarum agmine demonstrari, à turpitudine autem hujus vitij, & commendatione pudicitiæ, dilatari poterit. Eandem labem arguit, quod filiæ suæ Immæ furtivum cum Eginharto amorem indulsit.

Epilogus breviter repetat, has Caroli labes earumque magnitudinem ostendat. Virtutes tamen ejus majores esse, atque harum intuitu condonandum, si quid humani admiserit, nec secius magnum merito Imperatorem & Christiani nominis strenuum propugnatorem habendum esse.

XXIV.

ORATIO JUDICIALIS CONTRA ABSALOMUM FRATRIS SUI AMNONIS PERCUSSOREM, è l. 2. Samuelis cap. 13.

EXordium à proprio munere procemij, quod lib. III. Rhet. c. XLV. §. 19 designatur, petitum, *coram Rege se comparuisse memoret hac de causa, ut innoxij sanguinis fusi pœnam à capite & liberis Regis ac toto regno avertat. Averruncari autem posse una eâ ratione, si fratricida pœnâ tanto crimini debitâ afficiatur.* Addatur morata oratio: *Periculo, quod se, actorem, maneat, salutem regis ac regni se anteferre.* Sequatur rei gestæ narratio, perspicua & verisimilis. Eidemque intexantur, cum quæ actoris optimos mores arguant, tum è secundo Rhetor. II. & IV. capp. quæ iram ac odium judicis adversus reum

reum excitare possint. Omnia enim ista in narratione Rhetor requirit lib. III. cap. XIV. §. 8. 9. & 26.

Propositio, fratricidam jurium hospitalitatis, & majestatis regiæ, ac pacis publicæ violatorem ad supplicium esse trahendum, se ostensurum promittat.

Fides quinque enthymematibus constet. Primum enthymema: *Absalom est homicida, ergo capitali supplicio afficiendus.*

Dilatetur hoc enthymema 1mò majoris omissæ probatione: Homicidam morte puniri poscit primò naturalis æquitas. Iustum enim est ut qui mortem intulit mortem capiat. Idem 2dò lex Dei decernit quam & 3tiò optimi quique principes religiosè observarunt, & (4,) in liberis quoque suis sunt exsecuti.

Idem enthymema dilatetur 2dò probatione antecedentis, ubi primò per hypotyposin describatur, Amnonis in ipso convivio truculenta, & cum omnium stupore atrociter patrata cædes, non manu quidem, sed autoritate atque jussu Absalomi, cui à ministris non poterat non obsecundari, Absalom itaque cædis autor est, & tanquam parricida puniendus.

Prolepsis: *At Regis filius est Absalom.* Hujus solutio secundum enthymema principale constituat, hujusmodi: Regis filium occidit, ipsum fratrem suum: Omnium maxime itaque supplicio dignus. Diducatur demonstratione, quam grave sit 1mò lædere regem, 2dò parentem, 3tiò in proprium sanguinem, in fratrem, Caini exemplo, sævire. 4tò quod à lege homicidis lata, nemo omnium & ne Regis quidem filius sit exemtus.

Tertium enthymema: *Violavit Absalom jus hospitij, dum percussores immisit fratri ad epulum invitato.* Dilatetur primò commendatione juris hospitalis, quod ab ipsa natura, & hu-

jus autore Deo nobis insitum est. Secundò idem ab optimis quibusque est observatum. Ut à Lotho Genes. XIV. v. 7. & seqq. à sene Gibeano, Iudic. cap. XIX. à Rahab Hierichuntina Iosuæ cap. 2. 3tiò. ne piratis quidem aut latronibus neglectum. Quartò, *hu latro est qui hospitem lædit.* Quintò, *nocere supplici hospitique, par scelus, & vindex utriusque Deus est.*

Quartum enthymema: *Regia majestas graviter læsa est, dum filius Regis tam atrociter trucidatur.* Hic in thesi Reges sanctos esse, quippe Dei vicarios, nec minus familiam illorum inviolabilem esse demonstretur.

Quintum enthymema: Pax publica est violata. Dilatetur è loco communissimo consequentium. *Cædes & violentia passim irrumpet, nec hospes ab hospite deinceps tutus erit. Quin nec ipse Absolomus ab atrocioribus in quemvis alium injuriis abstinebit. At reo ad supplicium tracto cessabit utrumque.*

Epilogus itaque judices ab iram adversus Absalomum concitet è lib. 2. Rhet. cap. 2. & ut debito supplicio hunc parricidam plectant, atque Regum autoritatem sartam tectam conservent, exhortetur.

XXV.

ABSALOMI DEFENSIO.

EXordium excuset susceptam hanc Absalomi apologiam, adhibita morata oratione hujusmodi: *Non esse se ex eorum numero, quibus omnia Principum honesta atque inhonesta laudare, mos sit, sed tamen amore justi & æqui se adductum, non posse non acerbiorem istam in Regis filium orationem diluere.*

Ad primum itaque enthymema orationis anterioris respondeatur: *Occidit, sed justè. Incestus enim mortem meretur, ex lege Dei quæ extat Levit. XX, 17.* Ad secundum: *Regis filium*

lium eundemque fratrem suum peremit, fateor, at eum qui non obsequio sed stupris & adulteriis filium Regis ageret, & qui sorori castæ ac pudicæ, dum ægrotanti, fraudis secura, officiosè ministrat, turpi libidine incensus, renitenti, & sanctius inter Israelitas agi debere memori, vitium per vim obtulit, & ita violatam domo contumeliosè expulit. Multiplicem adeò injuriam sorori illatam ulcisci pars pietatis censeri debet. Si enim cædem ausu privato occisi propinquus ulcisci poterat, cur non liceat dulcißimæ sorori illatum scelus germano fratri vindicare.

Tertio *zelus hujusmodi non caret exemplo.* Vide Genes. XXXIV. Num. XXV. Judic. XX.

Ad tertium: *Imposturam Amnon fecit & passus est. Specie humanitatis sorori famam vitæ parem eripuit, ipse pariter illusus. Quod si homicidam ne ara quidem.* (Exod. XXI, 12, 14. Levit. XXIV, 17. & 21.) *nec incestus reum tutari hospitium debebit.*

Ad quartum: *Excanduit rex audito scelere Amnonis* 2. Sam. XIII, 21. *itaque punitum voluit. Quod verò ob affectum paternum pater distulit, vice ipsius filius peregit. Itaque Regis majestatem Absalom non læsit, sed ab Amnone prius læsam asseruit ac tutatus est. Quàm verò Regiæ Majestatis reverens sit Absalom, fuga & exilio suo est testatus.*

Ad quintum: *Pacem publicam Amnon prior violaverat. Ecqua enim virgo tuta erit si ne à Regis quidem filiâ impurus frater abstinet? Qui in sororem tam est injurius, quid non in civem sibi licere existimet? Non consistent enim exempla ubi cœperunt.*

XXVI.
BASILII IMPERATORIS MINISTER ACCUSATUR LÆSÆ MAJESTATIS.

JOhannes Zonaras Annalium tomo 3. de Basilio Imperatore

tore Constantinopolitano, hæc refert: *Cum venatum exisset* (Imperator) *in cervum incidit inusitatâ magnitudine elata in altum cornua gestantem, quem persequendo assecutus cum stricto gladio percussurus esset, bellua se defendit, & ramo uno cornuum, zonæ imperatoris infixo, illum sublimem fert, cornibus suspensum, ac forsitan ita periisset, nisi à quodam dissecta ense zonâ fuisset ereptus. Cui mercedem salutis suæ præclaram reddidit ille, capitis truncationem: speciosâ causâ quæsitâ, quod ensem contra Imperatorem strinxisset, neque reputavit pro Imperatore potius strinxisse, ac remuneratione magnisque præmiis esse dignum.* Hæc Zonaras.

Exordium ex re & dicente, & adversario, & auditore petatur, lib. 3. Rhet. cap. XIV. §. 20. Ex re: *Mortiferam plagam à corpore Imperatoris divinitus nuper prohibitam esse, omnes meritò gaudemus.* Ex dicente & adversario: *Me verò fides ac religio, qua Imperatori sum devotus, compellit, ut contra temerarium illum non tam baltei quam Augusti lateris, quin imo majestatis violatorem cogar hodie accusationem instituere.* Ex auditore: *Vos judices eam fidem, quam nunquam non probastis, etiam in hac ardua causa lubentes meritoque demonstrabitis.*

Narratio rem gestam è Zonara verbis antea citatis, sed ornatius & luculentius, & ut cùm mores dicentis appareant, tum affectus audientis commoveatur, judicibus exponet: *Exiverat cum comitibus & satellitio suo in proximam sylvam Imperator, ut quotidianas & longe gravissimas imperij curas, ferarum agitatione paulum discuteret, atque ad ardua regni consilia alacrior rediret &c.*

PROPOSITIO.

Cum hæc itaque ita, ut diximus, gesta esse, nemo ignoret, nemo dubitet, Vos quam grande crimen temerarius ille gla-

le gladiator admiserit expendite quæso, & meritum supplicium illi decernite.

FIDES.

PRimum enthymema : *Regis majestas tam est sancta ut adversum corpus ejus nullo casu gladium stringere liceat.* Probetur: 1mo è lege naturæ ipsa lib. 1. Rhet. cap. x. §. 3. & cap. XIII. §. 3. & cap. XIV. §. 17. *hæc enim dictat, reverentius habendum esse Regem, nec gladio feriundum.*

Secundò: sententiis sapientum, quibus Rex viva imàque Dei, alter Deus, & similibus elogiis ornatur.

Tertiò etiam vultu lædi pietatem vetus verbum est, multo magis id fiet manu, omnium maximè vero sicâ intentatâ adversus eum qui parentibus superior & Deo in terris proximus est.

Secundum enthymema : *Non in Regem tantum, sed & in totam Remp. peccavit*, lib. 1. Rhet. cap. XIII. §. 6. Dilatetur 1mo probatione antecedentis. *Totum enim corpus lædit, qui caput violat, totam navim periculo exponit, qui navarchum impetit.* Secundo : Reipub. facies sub Basilio Imperatore breviter describatur ex historiâ : *Remp. antecessoris ignaviâ perditam Basilius recreavit, optimis quibusque mandavit magistratus. Horum fide jus integerrimè dici cœptum est. Judicia nonnunquam exercuit ipse. Saracenos & Manichæos felici bello fregit &c. Hunc adeo florentem reipub. nostræ statum temerarius ille gladius petivit & concussit &c.*

Tertium : *Magnæ vecordiæ est, periculum minus periculo maximo depellere. Vt festinatio nunquam non improvida est & cæca, ita sanè & hic accidit. Non carebat equidem periculo impetus cervi in Imperatorem, sed periculum periculo majore alio depellere maximum est periculum. Nec advertit hoc cæcus furor hujus satellitis, qui cum belluam petere debuisset, ipsum latus*

Prin:

Principis percussit. Augeatur exclamatione.

Quartum enthymema: *Res est pessimi exempli, & proditioni opportuna.* Dilatabitur hoc modo: *Inter comites principum nunquam desunt maligni & animo à principe alieni, quibus si causa hujusmodi indulgebitur, nunquam Princeps erit tutus. Nam ut in proverbio est, prætextu tantum eget improbitas* l. I. Rhet. cap. XII. §. 36. *Ergo si aut equus cespitet, aut jactetur currus, aut vacillet gressus, manum satellitis sui suspectam habere Princeps cogetur &c.*

Inferatur hic conclusio omnium horum enthymematum. *Ergo capite plectendus est minister* & conjungatur cum ultimo enthymemate, quod tale erit: *præsertim cum justa suspicio sit in animo habuisse principem interimere.* Signa animi hujus sunt. Imò quod *cum manu auxiliari posset strictum gladium adhibuit*, 2dò *quod latus principis cecidit, cum cervum ferire debuisset.* Tertiò, *quòd ceterorum ministrorum qui certatim accurrerunt nemo, sed iste solus suspectum hunc tutandi modum arripuit.* Quartò *si tormentis exquiratur Saracenorum emissarius, aut Manichæus deprehendetur esse, quorum in nos hostilis animus nuperis nostris victoriis magis est exacerbatus.* Vid. l. 2. Rhet. cap. XIX. §. 33. & seqq.

Plura enthymemata suppeditabit cap. XIV. l. I. Rhet. Epilogus vecordiam, temeritatem, insidias hujus percussoris repetat, & inde augeat, quod Rex hinc belluâ, istinc percussore petitus in lethalem morbum ob animi consternationem inciderit, atque ut debitum supplicium sicario illi decernant, judices exhortetur.

XXVII.
DEFENSIO MINISTRI.

Exordium duos prooemiorum locos lib. III. Rhet. cap. XIV. §. 21. indicatos adhibeat, & primò quidem adversarij in-

rij inhumanitatem, atque contra insontem ministrum immanem acerbitatem perstringat: inde veniam petat si innocentiam suam animosè ipsus defendat.

FIDES.

PRima pars adversarij criminationibus respondeat ex lege Aristotelis lib. III Rhet. cap. XVII. §. 14. & 27.

Ad primum è 3. lib. Rhet. cap. XV. §. 2. *Strinxi gladium, sed meritò, non tamen in corpus Imperatoris, sed in cornu cervi, zona Imperatoriæ implexum, ardore liberandi Dominum meum incensus &c.* eâque *re id, quod natura ipsa jubet, & sapientes preceperunt, præstiti. Cingulo enim dissecto belluam à corpore Imperatoris in memet concitavi, ut meo sanguine vitam Imperatoris redimerem.*

Ad secundum: *Ego vero qui Principem à præsenti morte eripui, etiam remp. nostram hac ratione sartam tectam conservavi, ut non à Rege tantum, sed & à patriâ universâ gratiæ mihi debeantur &c.*

Ad tertium: *Viri fortis est, tum cum periculum non nisi periculo explicari potest, quidvis periculi animosè subire. Ecquod autem potuit majus esse periculum, quam cum bellua sublimem ferret Imperatorem.* Hic per διατύπωσιν spectaculum illud Regis in altum sublati describatur.

Ad quartum: *Nusquam erit Principum tuta fides, non cibus, non potus, non ullum obsequium, si tam optimè cogitatæ suppetiæ tam malignè accipiantur.*

Ad quintum: *Atrox calumnia est, in animo me habuisse Dominum meum interimere, primo enim nulla causa mihi erat, cur tantum scelus patrarem* lib. 2. Rhet. cap. XXIII. §. 89. *Quippe benignum, indulgentem, ac munificum habui principem;* Secundò, *si id in animo habuissem, fecissem dudum, cum occasiones longè commodio-*

modiores offerrentur lib.2. Rhet. cap. XXIII. §. 92. Tertiò *cupidinem hoc scelus patrandi unquam subivisse animum meum, quisnam, quando, quo signo unquam deprehendit.* Lib 2. Rhet. c. XIX. §. 26. Quartò : *Nec alieno ab Imperatore animo unquam me fuisse, quisquam probaverit.* Lib. 2. Rhet. cap. XIX. §. 26. Quintò. *Ridiculum est commentum à Saracenis aut Manichæis me esse submissum, cum nihil unquam mihi cum his commercij fuerit, à puero in Imperatoris servitio fideliter versato &c.* Sextò : *quod ceteris cessantibus ego solus accurri non culpâ tantum caret, sed & laudem meretur.*

Secundâ parte innocentiam suam ulterius demonstret, adhibitis locis qui extant lib. 3. Rhet. cap. XV. I. *Factum negare nequeo, in omnium quippe conspectu patratum, at rectum illud est, & justum, quia legibus divinis & humanis, & datæ fidei est conveniens. Neque enim sine scelere Imperatorem patriæ tam necessarium, mihi verò tam benevolum, cum periclitaretur destituere potui* lib. 3. Rhet. cap. XV. §. 2.

Secundo *: incidi balteum, sed servavi Imperatorem,* lib. 3. Rhet. cap. XV. §. 4.

Tertiò *: Et vero necessarium erat, ut hoc modo liberaretur, quæ enim alia via esse potuisset ?* Lib. 3. Rhet. cap XV. §. 5.

Quartò *: Testor verò Deum immortalem, id unum mihi fuisse propositum, ut zonam secarem* l. 3. Rhet. cap. XV. §. 6. *Quod si fortaitò altius gladius penetrasset, haberent forte malevoli, quod in speciem obijcerent.*

Quintò : Contra calumniam in thesi dicatur, lib. 3. Rhet. cap. XV. §. XIII.

Sextò : Exempla similia impune habita conquirantur. Lib. 3. Rhet. cap. XV. §. 8.

Epilogus primò misericordiam sui moveat è locis qui extant lib. 2. Rhet. cap. 8. Deinde obtestetur ac imploret

Deum,

Deum, Imperatorem, judices, ut tueantur innocentiam, aurem calumniæ nullam præbeant, nec vitam tantum, sed & præmium sibi tam optimè merito, donent.

XXIIX.
ACCVSATIO HORATII SORORICIDÆ CORAM TVLLO HOSTILIO REGE ROMANO.

DE Horatij parricidio legendi sunt Dionys. Hallicarnass. lib. 3. c. 24. & seqq. T. Livius l. 1. cap. xvi. Plutarchus in parallelis cap. xvii. Val. Max. l. vi. c. 3.

Exordio benevolentia Regis paretur, & attentio. Benevolentia quidem gratulatione victoriæ ab Albanis reportatæ. Attentio vero promissione orationis, quæ rem ad Regis regnique salutem maxime attinentem proponat. Ita enim benevolentiam & attentionem parari, docetur lib. 2. Rhet. cap. iv. §. 14. & lib. 3. Rhet. c. xiv. §. 28.

Narratio cædis exordio subjungatur eo brevior quo illa Regi erat notior. Narrationi inferatur ἦθος & πάθος, è lib. 3. Rhet. cap. xvi. §. 9. & 26.

Propositio: *Tantumne scelus inultum auferat Horatius?*

In Confirmatione enthymemata afferantur, hæc enim judicialibus causis maximè conveniunt, lib. 1. Rhet. cap. ix. §. 66. Sed ejusmodi quæ id quod in controversiam venit demonstrent lib. 3. Rhet. cap. xvii. §. 1. Non quæritur autem, num occiderit sororem Horatius, sed an jure occiderit. Posteriores artis hujus magistri statum qualitatis appellant.

Primum enthymema, è loco proprio hujus generis, qui extat lib. 1. Rhet. cap. x. §. 2. & c. xiii. §. 9. *Horatius sponte contra legem occidit sororem, Ergo injustè occidit.*

In prædicato antecedentis duo veniunt probanda & ampli-

plificanda, 1mo parricidium esse contra naturæ, gentium & scriptas Romuli Numæque leges. De naturæ & gentium jure legatur Hugo Grotius l. 1. de Iure Pacis & Belli c 1. & 2. Romuli & Numæ leges recitantur in Antiquitatibus Rosini l. 8. c. 5. Harum autoritas confirmanda est è lib. 1. Rhet. cap. xv. §. 12. 2do probetur sponte occidisse è loco communissimo definitionis, quia sciens volens occidit. His addatur conclusio enthymematis, in eaque amplificetur, quod germanam sororem, eodem sanguine, iisdem parentibus ortam, ob muliebrem planctum, nulli contumeliosum, truculentè occiderit.

Secundum enthymema ex eodem loco proprio generis judicialis. *Innocentem sororem occidit, ergo injustè :* Antecedens probetur è XIII. loco communissimo qui extat lib. 2. Rhet. cap. XXIII. §. 49. *Quod tantum in se crimen admisit Horatia? quam legem violavit? non vitæ fratris insidias struxit, non hostem juvit, non patriam prodidit, sed muliebri errato, ad portam fratri in turba obvia, demortuum sponsum deploravit &c.*

Post hæc inferatur iterum conclusio, per ἐξεργασίαν duplicata, cum eaque connectatur major propositio hujus enthymematis.

Tertiò facinus hoc variè amplificetur è locis qui monstrantur lib. 1. Rhet. c. XIV. §. 4. 7. & 10. Interponatur morata oratio, quæ procul odio, solo justitiæ amore hæc ita exaggerari ostendat.

Tandem Tullus Rex metu divinæ vindictæ terreatur, è l. 2. Rhet. c. v. §. 6.

Epilogus è 2do & 3tio perorationis loco Aristotelico l. 3. c. ult. §. 5. & 7. repetitâ magnitudine delicti Regem ad supplicium more patrio de parricida sumendum exhortetur.

XXIX.

XXIX

DEFENSIO HORATII, A P. HORATIO PATRE INSTITVTA.

VT oratio moribus senis conveniens effingi rectius possit, legatur primò caput XIII. l.2. Rhet quod est de moribus senum.

In Procemio itidem ut actor Regi victoriam, sibi vero quod victorem genuerit, pater gratuletur. Utrumque ad benevolentiam conciliandam est comparatum.

Narratio omittitor. Propositio in hanc fere sententiam formetur: *Patierisne verò Rex, publicum hoc de victoriâ gaudium gloriosi victoris, filij mei, cæde contaminari?*

In fide duo actoris argumenta prius confutentur, ex præcepto Aristotelis l. 3. Rhet. c. XVII. §. 24. Vide autem 2. Rhet. c. XXV §. 1. & 3. & primò affer ἔνστασιν: *Non omne homicidium est contra leges, alioqui ne filio quidem meo Curiatios occidere licuisset.*

Secundò ἀντισυλλογισμὸν: *Filia mea patriæ hostis fuit, eundemque in nos cum Curiatiis animum habuit, ergo non fuit innocens. Ergo similem cum Curiatio mortem merita.* Antecedens hujus syllogismi dupliciter poterit dilatari, 1mo si in thesi ostendatur *patriæ amorem omnibus privatis amoribus esse anteferendum:* secundò *si accusetur Horatia, quod præ furtivo amore adolescentis, quicum clam patrem se deponsaverat, non patriam tantum sed & parentes & fratres spreverit, & contra laudetur Horatius, ut qui non suam tantum, sed & sororis vitam præ amore patriæ contemserit.*

Præcipuum verò in hac oratione argumentum erit commotio affectus misericordiæ & deprecatio. Deploret itaque pater tot liberorum subitum interitum, commemoret sua

in remp. merita & quod similia mala domestica Regi ipsi evenire, aut à Diis ultoribus immitti queant. Modum hunc affectum concitandi, præclare docuit Aristoteles l. 2. Rhet. c. IIX. Exemplum illustre habetis in hac ipsa historia, apud T. Liv. l. I. c. XXVI.

Epilogus perorer, ut si non jure causæ, saltem ob lachrymas, orbitatem & atrocem casum domesticum, filio commissum facinus condonent, paratum se esse quovis alio piaculo, sibi imperato, cædem luere.

XXX.

THOMÆ MUNCERI PERDUELLIUM DUCIS IN CASTRIS AD MULHUSIUM CAPTIVI ACCUSATIO.

Thomæ Munceri dicta ac facta nefanda, dignusque iis exitus narrantur à Joh. Sleidano l. V^to. Luculentius à Petro Gnodalio l. 3. rusticanorum tumultuum, tomo 2. operis historici de Germaniæ rebus, à Simone Schardio collecti.

Exordium è duobus locis, auditore, & re petitum (3. Rhet. XIV, §. 20.) Primò victoriam à perduellibus ad Franckenhusium reportatam, gratuletur Principibus. Inde Thomam Muncerum jam captum, ultimo supplicio afficiendum esse contendat.

Gratulationi, quia factum extollit, demonstrativi generis loci inserviunt. De eadem fusius agit Gerhardus. Voss. l. 3. institut. Orat. c. 7. num. 12.

FIDES.

Initio voces sceleratæ Munzeri demonstrentur 1. è litteris ejus interceptis, 2. ex iis quæ per tormenta confessus est. Facta verò ejus ex iis quæ palàm patrata sunt.

Proximum est ista omnia amplificare; in quam rem enthyme-

thymemata ducantur è XIV^{to} cap. l. 1. Rhet. Primum esto ex §. 1. *A maxima Münceri impietate, scelus ipsius emanavit. Ergo graviter plectendus est:* Probatur antecedens 1^{mò}, *Deum enim ipsum contemsit, dum ordinem divinitus institutum, ac Dei ipsius Vicarium nequiter evertere voluit.* Secundò, *ludibrio quoque habuit Deum opt. max: dum ejus affatus ac jussa mendaciter finxit, iisque ad multorum mortalium perniciem sceleratè est abusus.* Tertiò, *eaque omnia ex destinatâ malitiâ ab ipso sunt patrata, ut præter alia liquet, è risu, quo jam captivus verba Saxoniæ Ducis excepit.*

Secundum enthymema è l. 1. Rhet. c. XIV §. 4. *Damnum intulit irreparabile, Ergo gravissimè puniendus. Evertit arces, urbes, villas, ac tot mortalium millia, ipse dux, in perniciem ac mortem præcipitavit.*

Addatur conclusio novo enthymemate vestita è l. 1. Rhet. c. XIV. §. 5. *Nullæ cruces, nulla supplicia tanto scelere digna queunt reperiri &c. ne tamen impune auferat, optem ut vel putrescat in sublimi, vel in aqua suffocetur, aut igne ustuletur.*

Sequatur morata oratio, in hanc sententiam; *Nihil tamen præjudico vobis, Principes, nec ad meum arbitrium rem revoco, tantum hoc monstrum quantocyus è medio tollendum esse admoneo, illo pœnæ genere, quod à simili flagitio alios queat deterrere.*

Tertium enthymema ex §. 10. *Nemo hactenus ita ut Müncerus insanivit. Quare insigniori pœnâ afficiendus est.* Dilatetur 1mo probatione antecedentis multiplici: *In Germania nostrâ solus Müncerus est, qui perduellioni suæ jussa divina prætexit. Habuit Roma Gracchos, Spartacos, Catilinas, sed Münceri dissimillimos, hic enim vecors & insanus, illi callidi, hic rei militaris rudis, illi scientissimi, hic omnem abivis magistratum abolitum, illi paucos quosdam in civitate sua hostes eversos cupiebant.*

Secundò additione majoris propositionis ejusque probatio-

batione : *Scelus quod est sine exemplo, novo quoque & exquisito genere supplicij est puniendum. Tum enim demum pœna delicto respondebit.* Vide Grot. l. 2. c. 20. §. 2.

Antequam ad quartum enthymema procedatur, interponatur morata oratio, *quà à sævitia & crudelitate in suppliciis se abhorrere, at sceleribus tamen justam pœnam exoptare, profiteatur.*

Quartum enthymema ex §. 11 : *Diu jam & sæpe seditiones contra magistratum est molitus. Ergo gravissimum meretur supplicium.*

Dilatetur hoc enthymema 1mo probatione antecedentis, quam suggeret historia Münceriana ipsa, ex ea enim liquet turbonem hunc jam olim Pragâ, Marchiâ, Zviccaviâ, Alsteto, ob seditiosas voces actionesque, ejectum esse.

Secundò additione conclusionis, cui novum enthymema sit intextum, ex inciso 14.

Attexatur & huic enthymemati morata oratio, quæ sceleratissimorum hominum hos esse mores aperiat, ut diu animo versent ac interim tegant nefanda proposita, interdum tamen erumpant, & mox in latebras se recipiant, ad id usque tempus, cum patrandi tempus opportunum adesse animadvertunt.

Quintum enthymema ex §. 18. ista propositione : *Qui eum injuriâ afficit à quo beneficium accepit, gravissime peccat, Atqui Müncerus id fecit, Ergo &c.* Tractetur hoc ordine; primo loco statuatur conclusio, copiosius prolata, & variè repetita: Sequatur major cum sua probatione; Bis enim peccat talis, 1mo quod non reddat beneficium, 2do: quod pro bono malum reddat &c. Subjiciatur minor, eique probandæ atque illustrandæ diutius insistatur, inprimis enumeratione beneficiorum quæ à magistratu in subditos longe maxima proficiscuntur.

eiſcuntur. Poſt illa denuo inculcetur concluſio, nempe graviſſimo ſupplicio Muncerum eſſe afficiendum.

Sextum & ultimum enthymemá ex §. ult. citati capitis XIV. lib. I. Rhet. *Contra apertum Dei optimi maximi interdictum, ſacro codice promulgatum, nefariè deliquit Münterus. Ergò graviſſimè eſt puniendus.*

Antecedens probetur iis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, quibus autoritas magiſtratus divinitus aſſeritur. Cumque hiſtorici ab initio laudati commemorent, Philippum Haſſiæ Landgravium teſtimonia iſta Muncero occentaſſe, hujus Principis pietas & ſacrarum literarum peritia obiter hic laudabitur.

Addatur concluſio hoc ferè modo dilatata : *Si contra non ſcripta, ſanis tamen omnibus nota jura deliquiſſet, impune ferre nequiret, nunc cum ea quæ tam expreſſe Deus mandavit violarit, cur ceſſatis trahere eum ad ſupplicium?*

Enthymematibus his ſubjiciatur exemplum de Coreh, Dathan, & Abiram, qui cum magiſtratui reſiſterent, cum centum & quinquaginta ſociis perduellibus partim terræ hiatu, partim igne divinitus immiſſo ſunt abſorpti. Num. c. XVI. §. 31. & ſeqq.

Tandem iræ affectus commoveatur Principibus, quod contemtu, maledictis, contumeliâ, damnis, multifariam à nebulone illo ſint affecti, quod quidem ex hiſtoriâ Muncerianâ ipſa facile poterit demonſtrari; talia vero iram cient, ut docetur l. 2. Rhet. cap. 2.

Epilogus è quatuor locis Ariſtotelicis 3. Rhet. cap. ult. primò ſummam dictorum breviſſimè repetat, ſecundò immanem nequitiam Munceri vituperet, ac tertiò exaggeret. Quartò iram atque odium cum Principum præſentium tū bonorum omnium, adeoque ultimum ſupplicium promeritum eſſe oſtendat.

XXXI.

HEROUM FILII NOXÆ.

QVæstio est infinita cognitionis è locis topicis qui extant lib. 2. Rhet. c. XXIII. in primis dilatanda.

Exordium è proprio munere procemij, item ex dicente & ex auditore (l. 3. Rhet. c. XIV. §. 19. & 20) petitum, *dolendum esse* contendat, *viros, virtute, literis, opibus magnos, degeneres ut plurimum filios post se relinquere. Propositum sibi esse hoc nunc demonstrare, non quod insectatione aliorum gaudeat, sed quod causas rei admirabilis investigare, cognitu dignum pariter ac jucundum sit futurum.*

Fidei prima pars loco communissimo inductionis è 2. Rhet. c. XXIII. §. 35. & seqq. adhibito variis exemplis veritatem theseos hujus demonstrabit. Hujusmodi exempla sunt filij judicis Israelitarum Heli 1. Samuel. 11. §. 12. & 17. Davidis Absalom, Salomonis Rehabeam, Cyri Cambyses, Socratis item, Alcibiadis, Cimonis, Periclis liberi, de quibus vide Aristotelis judicium 2. Rhet. XV. 7. Inter Romanos Ciceronis, Hortensij, Cornelii Taciti aliorumque filij, quàm fuerint degeneres, è Ciceronis lib. VI ad Atticum ep. 3. Plinio l. VII. naturalis hist. c. 16. Valer. Max. l. V. c. 9. Ælio Spartiano in vita Septimij Severi satis constat. Denique & nostri temporis experientia erit alleganda: quippe quæ ejusdem theseos veritatem, abundè poterit demonstrare. Ceterum exempla hæc non ad Historiæ modum tenuiter narranda, sed grandiori charactere, exornanda erunt. Characteris autem hujus elocutio & compositio cujus modi esse debeat ex antiquis docuerunt Demetrius, Dionysius Longinus, Hermogenes & è recentioribus Gerardus Vossius l. V. Partit. c. 4. & l. 6. Institut. orat. c. 3. & seqq.

Fidei

Fidei pars altera causas defectionis hujus aperiat, hoc ordine, ut primò duæ falsò ab aliis allegatæ removeantur, cujus modi sunt, 1 siderum positus in natali 2 mundi quædam senecta: neutra enim harum huc facit, cum *eodem sidere nati diversissimis sæpe moribus sint, & stirpium animaliumque vires nostro ævo æquè sint validæ atque ante bis mille annos fuerunt. Quas enim facultates seminibus, herbis, radicibus vetustissimi Medicorum jam olim adscripserunt, eædem hodieque deprehenduntur in iisdem: & quod de ætate hominum Moses pronunciavit, idem iis qui temperanter vivunt etiamnum cernimus contingere.* Falsis causis rejectis veræ subjiciantur istæ. Prima: *Improvidum coniugium. Vxor enim animi & corporis dotibus destituta parilem ferè prolem edit.*

Sequatur morata oratio, qua *plures hujus rei causas naturales ideo se non recensiturum asseveret, quod fieri illud nequeat sine verbis nuptis, quæ tamen adolescentem minime deceant.*

Secunda causa; *imperitia educationis*, ubi integer iste syllogismus oratoriè explicetur. Qui educationis imperiti sunt, nequeunt patriæ præclaros dare liberos, At Heroes educationis ferè sunt imperiti. Ergo præclaros liberos reip. dare nequeunt.

Majoris dilatandæ causa demonstretur *quanta sit vis educationis. Esse peculiarem quandam illius disciplinam, toti reip. & singulis familiis necessariam; hanc disci debere, nec enim nasci nobiscum &c.* Vide præter alios Arnisæi Polit. l. 1. c. 18.

Ad minorem ostendatur: *plerosque mortalium inscitia educationis laborare; heroes vero excelso animo ad summa quæque ferri & puerilis ætatis informationem longe infra suas putare curas.*

Tertia: *non inscitia tantum sed & neglectus educationis genuina causa est, cur liberi degenerent. Neglectus autem iste oritur in heroibus à multis atque summis magnorum virorum circa publica negotia occupationibus &c.*

Quarta: *Indulgentia nimia vel maxime liberos corrumpit. Heroes autem erga liberos fere Mitioni Terentiano similes sunt.*

Quinta: *Ex paterno honore liberis fastus accedere & pigritia solet, veri profectus in virtute graves remora.*

Sexta: *Omnium rerum in paterna domo affluentia liberis esca voluptatis est. Voluptas autem ab ardua virtutis via longissimè avocat mortales.*

Plura de hac quæstione lecturus adeat præter autores paulo ante allegatos Erasmum in Adagio *Heroum filij noxæ*, Hugonem Grotium Annotatis ad lib. 1 Samuelis c. 2. v. 12. Matthiam Berneggerum ad Cornelij Taciti Agricolam quæstione 181.

XXXII.

FORTES CREANTVR FORTIBVS ET BONIS.

Sententia est ex Horat. l. IV. Carm oda 4. notissima, & superiori contraria.

Exordium justo liberius in heroum filios anteriorem Oratorem declamasse conqueratur. *Neque enim quod rarius contingit, omnibus exprobrari debuisse &c. Paucorum omnino heroum unum alterumve degenerem filium fuisse, plurium liberos paternam virtutem non exæquasse tantum, sed & interdum superasse &c.*

Atque hoc se nunc demonstraturum proponat.

Fides primò exempla afferat filiorum minime degenerum, deinde exemplis superiori oratione allatis respondeat. Etenim si frequentius fortes fortibus creari quam heroum filios noxas esse fuerit demonstratum, verisimilior erit hæc posterior oratio. Vide Aristotelem l. 2. Rhet. cap. XXV. §. 20. & seqq.

Ergo

Ergo *si plerique eminentes viri jam inde à primâ rerum origine expendantur, multò maxima illorum pars filios hautquaquam degeneres, quin interdum parentibus ipsis præstantiores genuisse deprehendetur.*

Primo enim *nihilo parentibus suis pietate, prudentia, fortitudine inferiores fuere Isaac, Iacob, Iosaphat, Xerxes, Cimon, Pericles, Antigonus, Hannibal, Q. Fabius Maximus, L. Æmilius Paullus Macedonicus, M. Porcius Cato, Germanicus Drusi fil., T. Vespasianus, &c.*

Secundò: *Parentibus suis superiores evaserunt, Abraham, Iosephus, Moses, Iosias, Iudas Maccabæus, Cyrus, Alcibiades, Pausanias, Agesilaus, Pyrrhus, Alexander M., Masinissa, L. Tarquinius Priscus, Valerius Publicola, M. Marcellus, Scipio uterque, M. Attilius Regulus, Lutatius Catulus, Papirius Cursor, Cn. Pompejus, Iulius Cæsar, C. Cæsar Octavianus, Constantinus M., Theodosius, Iustinianus, Carolus M., Fridericus I., Carolus V. &c.*

Tertiò: *considerentur integræ gentes apud Romanos, ut Valeria, Fabia, Claudia, Æmilia, Cornelia, Cæcilia, Metellorum, aliæque; deprehendetur sane degeneres paucissimos, æmulos autem avitæ virtutis longe plurimos extitisse.*

Repetatur conclusio, nempe *ex his quæ enumerata sunt liquere, optimos parentes bonæ frugis filios, ut plurimum procreasse, quin imò quorundam parentum virtutem à liberis longè fuisse superatam.*

Ad exempla superiori oratione allata respondeatur I. in genere, *quod quemadmodum una hirundo ver non facit, ita nec unus alterve degener filius toti familiæ notam inurere queat, præsertim cum defectio unius plurium patrissantium virtute in eadem domo compensetur. Iniquum autem sit ob unum malum spicum totam segetem culpare.*

II. In specie: *Nihil mirum esse si Heli judicis Israelitici*

 filij

filii degeneraverint, quippe quibus omnem lasci viam Mitio ille indulgebat ; ut autem quisque suum esse vult, talis est. Praeterea *Caino Sethum & Abelum, Absalomo Salomonem & alios Davidis minime perduelles filios opponere oportet. Neque vero caeterorum ibidem enumeratorum parentum liberi ad unum omnes degeneres fuerunt, sed unus tantum itemque alter,* quod autem rarius fit minus est verisimile l.2. Rhet. c. xxx, §.20.

Subjiciatur iterum conclusio: *verissimam igitur esse illam à Poëta prolatam sententiam : Fortes creari fortibus ac bonis praesertim cum aliorum sapientum testimonio eadem confirmetur, ut Platonis, qui in oratione funebri, eos qui pro patria occubuerant, bonos fuisse memorat, quia ex bonis erant prognati,* Aristotelis, qui lib. 3. Polit. scribit, *esse probabile, viros praestantiores esse eos qui è praestantioribus nati sint : item Poëtarum, qui quantum ad ingenium & mores inserendos stirps valeat declaraturi, immitis ingenii homines è saxis, è rupibus, è leonibus, natos dicunt;* Apud Virg. l. 4. Æneid. v. 365. Dido ad Æneam :

Nec tibi diva parens generis nec Dardanus autor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanaeque admorunt ubera tigres.

Et Catullus de nuptiis Pelei & Thetidis :

Quaenam te genuit solâ sub rupe Leaena ?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis ?
Quae Syrtis, quae Scylla vorax, quae vasta Charybdis &c.

Peroratio argumentorum enumeratorum vim brevissimè repetat, & magnorum virorum generositatem, per quam similes sibi liberos gignere solent, extollat. Hi enim sunt praecipui perorationis loci ab Aristotele l. 3. Rhet. cap. 19. §. 9, 2 & 5. indicati.

XXXIII.

XXXIII.

PRO ASTROLOGIA JUDICIARIA.

PRoœmium laudet cœli pulchritudinem & in hæc inferiora influxum. l. 3. Rhet. c. XIV. §. 11. Inde proponat ostendere prædictionem ex astris nequaquam esse commentum inane, sed ratione & experientia niti.

Confirmatio primum hujusmodi adhibeat enthymema: è loco communissimo l. 2. Rhet. c. 23. §. 89: *Cœlum ac sidera non frustrà ambiunt res inferiores, sed fovent illas, movent, reguntque, Ergo effectus illorum prædici possunt.*

Dilatabitur enthymema, primò: probatione majoris intellectæ, nempe *si causa ejusque operatio probè cognita fuerit, cognoscetur quoque & prædici poterit effectus.* Secundò luculentâ probatione minoris: *Mirabilis illa corporum cœlestium pulchritudo, magnitudo, multitudo, varietas nequit esse inutilis. Sol causa est lucis & caloris, accessu, recessuque suo inducit vicissitudinem tempestatum anni, procreat plantas, animalia, & cum homine hominem ipsum. Excitat è terrâ fumos qui concrescunt in aquam, abeunt in ventum. Luna & complet & vacuat conchylia, ossaque animalium, ac plurimum potest in omnes res humidas, in mare potissimum, cujus æstus ad lunæ motum temperatur. Pariter & astra cetera vires suas exserunt in hæc inferiora, neque enim otiosa esse possunt, splendida adeo & vasta corpora. Huc accedit, quod effectus multi sunt qui ad nullas alias causas præterquam ad sidera referri queunt, ut crises morborum, inæqualitates tempestatum quà licet sol uniformiter moveatur, uniformes tamen non sunt, sed nunc calidiores, nunc frigidiores, nunc humidiores nunc sicciores.*

Post luculentam probationem minoris repetatur conclusio syllogismi: *Ergo effectus hi prædici possunt,* cum eaque connectatur secundum enthymema. *Et verò à pastoribus, agrico-*

gricolis, nautis, effectus siderum prædicantur, multo magis itaque id fiet ab astrologis, qui accuratius omnia ista rimantur.

III. Enthymema effectus hos ad res quoque humanas extendat: *Cælum causa est omnium transmutationum quæ fiunt in aëre. Ergo & sterilitatum & morborum, & affectionum, non corporis modo, sed animi etiam, quippe qui corporis sequitur temperiem, ergo & amorum & irarum, hæ enim animi sunt affectiones. Ex amore porro conjugia & liberi, ex irâ bella atque cædes oriuntur. Ergo & horum causa à cælo sunt petendæ. Ingeniorum denique vis ac tam varia studia, fata item mortalium tam diversa, tam inexspectata, tam interdum immerita, quo referas nisi ad hanc cælestem causam?*

Quartum enthymema è loco communissimo, qui extat lib. 2. Rhet. c. XXIII. §. 41. eorum judicio qui Astrologiæ periti fuerunt, artis usum & præstantiam comprobet. Hi sunt Ptolomæus, M. Manilius, Julius Firmicus Maternus, Lucas Gauricus, Hieron. Cardanus, Cyprianus Leovicius, aliique. Elogia horum vide in lib. Gerardi Vossij de scientijs Mathematicis. Manilij versus sunt sub. init. l. 3,

Principium rerum, & custos naturæ latentum
Cum tantas strueret moles per mænia mundi
Et circumfusis orbem concluderet astris
Undique pendentem in medium diversaque membra
Ordinibus certis sociaret corpus in unum
Aëraque & terras flammamque undamque natantem
Mutua in alternum præbere alimenta juberet
Ut tot pugnantes regeret concordia causas,
Staretque alterno religatus fœdere mundus,
Exceptum à summa ne quid ratione maneret
Et quod erat mundi mundo regeretur ab ipso:
Fata quoque & vitas hominum suspendit ab astris,

Quæ

Quæ summas operum partes, quæ lucis honorem,
Quæ famam assererent &c.

V. Enthymema: *Nec singuli tantum viri, sed & integræ eæque cultissimæ nationes Astrologiam hanc in precio habuerunt, ut Babylonij, Æthiopes, Ægyptij, Athenienses, quorum hi Beroso ob divinas prædictiones publicè in Gymnasio statuam inauratâ linguâ posuere*, ut refert Plinius l. VII. hist. nat. c. 37.

Sextò denique exempla afferantur verarum prædictionum quæ artem hanc in primis commendant. *Omitto prædictiones Alexandro, Antigono aliisque à Chaldæis factas, illis intentus, quæ circa Augustum, aliosque Imperatores contigerunt*, de quibus vide Svetonium in Augusto c. 49 in Tiberio c. 14. in Caligula c. 57, in Nerone c. 40, in Domitiano 14. & 15 capp. De Plotino Firmicus l. I. c. 3. affirmat quod & ipse licet Astrologiæ contemtor eum tamen exitum habuerit, quem stellarum judicia monstraverant. Idem de Ioh. Pico Mirandulæ Comite, qui XII libris Astrologiam impugnat, Lucas Gauricus refert.

Epilogus breviter colligat allata argumenta & mox hujusmodi addat moratam orationem: *Veniam mihi dabitis quod sententiam à vestrâ fortassis ac plurimorum mente alienam tam calidè propugnaverim &c. Paratus interim sum audire docentem rectiora, nec pertinaciter reluctabor, si pro adversâ sententia argumenta afferentur firmiora.*

XXXIV.

CONTRA ASTROLOGIAM JUDICIARIAM.

ASTrologiæ divinatricis vanitatem inter alios luculenter demonstrarunt Thomas Erastus in defensione libelli Hieron. Savonarolæ de hoc argumento, Benedictus Pererius

in Genesin, Petrus Gassendus animadverſ. in lib. XII. Diog. Laert. de meteorologia Epicuri à pagina 947. uſque ad 979. Tobias Wagner in diſp. de aſtrol. Genethliaca edita Stutgardiæ Anno 1656. Gerardus Voſſius l. 2. de Idololatria cap. XLIIX. & lib. de ſcientiis mathematicis cap. 38. Cujus ultimo paragrapho longe plurimos recenſet qui artis hujus vanitatem oſtenderunt.

Procemium ἐκ ψόγου l. 3. Rhet. c. XIV. §. 11. vituperet quorundam curioſitatem, qua rerum futurarum præſcientiam, nulli mortalium quocunque ſe vertant penetrabilem, ſoli autem Deo obviam, ſtultè affectant.

Proponat itaque ſe impietatem & vanitatem fallaciſſimæ hujus artis demonſtraturum & argumenta illi ſtabiliendæ allata confutaturum.

Confirmationis prima demonſtratio ſumatur è divinæ mentis interprete ſcripturâ ſacrâ quæ ſanè clarè teſtatur ſoli Deo futura eſſe nota. Vide Eſaiam à cap. XLI. ad XLIIX. Aſtrologos verò & prædictionem ex aſtris diſertè damnat Deut. XVIII. 10. & ſeqq. Eſaiæ XIV. verſ. 25. & cap. XLVII. §. 10. & 13.

Dilatetur cum explanatione horum cœleſtium edictorum, tum additione & explicatu propoſitionis majoris, religioſè videlicet aſſentiendum eſſe iis quæ Deus ipſe docet.

II. Enthymema, ſanctos Eccleſiæ Chriſtianæ doctores idem ſenſiſſe demonſtret. Locus eſt communiſſimus 2. Rhet. c. XXIII. §. 41.

Præclarus omnino eſt locus Origenis, ſed prolixior quã ut exſcribi poſſit, extat autem apud Euſebium lib. VI. præparationis Evangelicæ c. 9. S. Baſilius item ſextâ Homiliâ in ἑξαήμερον, fusè contra Aſtrologos diſputat, & eò quidem luculentius, quoniam plerique homines iſtius ævi hoc errore

erant

erant præoccupati. S. Augustinus sæpe hoc argumentum tractat ut l. v. de Civitate Dei, cap. 4. ubi exemplo Esavi & Jacobi Genethliacos refellit, item cap. vi. ubi eosdem confutat exemplo gemellorum sui ævi & cap. vii. ubi scitè admodum docet ne in granis quidem eodem tempore seminatis, sidera eundem præstare effectum, *cum spicas alias rubigo interimat, alias depopulentur aves, alias homines avellant &c.* Extat etiam integra oratio ejusdem Augustini, in Mathematici cujusdam reconciliatione cum ecclesia, in qua vanissimæ hujus artis impietas à sanctissimo doctissimoque viro acriter reprehenditur.

III. Enthymema è loco communissimo l. 2. Rhet. cap. xxiii. §. 51. *Astrologia judiciaria tollit arbitrij humani libertatem, Ergo absurda est & impia.* Major dilatetur 1mo quod *arbitrij libertate sublata, homo desinit esse homo*, 2do quod *qui eam negat Catholicus non est*, ut affirmat Hieronymus, in Esaiæ caput 47.

Minor probatur: *si enim astrorum necessitati subjecta est voluntas, desinit esse libera.*

IV. Enthymema: *Tollitur reip. salus, hæc enim mandatis & interdictis, præmiis & pœnis constat, at his locus non est, ubi Chaldaicum fatum regnat &c.*

V. Enthymema: *Omnis religio & ipsa adeo Christiana tollitur, si à siderum positu, & non potius à liberrimâ electione actiones hominum oriuntur.*

VIto. Vanitatem hujus artis clarè demonstrant tot aberrationes, sive potius mendacia Genethliacorum, tantum non infinita. Exempla plurima recensent Cicero l. 2. de divinatione & omnes qui contra Astrologiam judiciariam scripserunt, eademque magno numero suppeditat nostri temporis experientia.

VII^mò. Et illud expendendum est, *malè sibi consulere qui aurem Astrologis prabent, mala enim pranunciata torquent ante tempus bona securos & negligentes reddunt.* Cic. l 2. de divinatione cap. 9 *Quæ vita Priamo,* inquit, *fuisset, si ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? Marcóne Crasso putas utile fuisse tum cum maximis opibus, fortunisque florebat, scire, sibi, interfecto Publio filio, exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia, & dedecore esse pereundum? An Cn. Pompejum censes, tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria, lætaturum fuisse, si scisset se in solitudine Ægyptiorum trucidatum iri, amisso exercitu: post mortem vero ea consecutura, quæ sine lacrymis non possumus dicere? Quid vero Cæsarem putamus? si divinasset fore, ut in eo senatu, quem majore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeja ante ipsius Pompeij simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, à nobilissimis civibus, partim etiam à se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut ad ejus corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet; quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? Certè igitur ignoratio futurorum malorum utilior est quam scientia.* Vide & Horat. l. 1. od. xi. & Gell. xiv. c. 1.

Altera pars argumenta superioris orationis refellat. Ad 1 ergo respondeatur, ex vero ac specioso antecedente, elicere illos absq; ulla vi consecutionis falsum consequens. *Non sunt quidem sidera tam multa, tam magna, tam varia ullo modo otiosa, cum luceant nobis ac nos foveant. At hæc actio generalis est, neque ex illa effectus ullus singularis producitur, nisi quatenus accedit causa singularis. Itaque ut cognosci possit, qualisnam effectus singularis futurus sit, nihil juvat generalem illam cognoscere, nisi cognoscatur & actio dispositioque singularis, utpote quæ determinet tribuatque effectui, ut talis potius quam talis sit.* Vide Gassendi Epicurum p. 964. *Dum explicamus,* verba sunt ejusdem Petri

tri Gassendi ibid. p. 921, *cur in viridario hic ista planta non illic crescat, illa istic non vero hic, id tribuimus seminibus, quorum unum hic aliud illic severimus, non verò aquæ qua irrigantur, utpote quæ causa solum generalis indifferensque utrique sit, ita & circa illos effectus qui tribuuntur sideribus videtur esse philosophandum.* Hæc Gassendus.

Ad secundum: Nautæ, pastores, agricolæ, tempestates prædicunt, tum cum causæ singulares jam operari incipiunt, & tamen sæpe hallucinantur, multò magis itaque hallucinabuntur qui diu ante causarum existentiam effectus prædicere conantur.

Ad tertium: Non negatur varia esse hominum studia, varios eventus, fata varia, sed Deum ab astris ista suspendisse, id vero negatur, oriuntur enim ab aliis causis nempe à liberâ hominum electione, à causis aliis singularibus ac manifestis, à divinâ dispositione speciali.

Ad quartum: Sapientissimi doctissimique viri aliter senserunt, Cicero l. 2. de divinatione & testibus & rationibus & experimentis, hanc imposturam refellit. Idem facit Favorinus apud Gellium l. XIV. cap. 1. Sextus Empiricus contra Grammaticos c. 10. eandem refert inter artes quæ nomine tantum, non autem re artes sint. Ptolomæum verò immeritò sibi vendicant Astrologi, ut demonstrat Gassendus in Epicuro suo p. 963.

Ad quintum: Barbaris gentibus, & curiosis Græcis vel soli Romani opponantur, qui M. Popillio Lænate & Cn. Calpurnio Consulibus genethliacos intra decimum diem urbe & Italia exire jusserunt, ut testatur Val. Max. l 1. cap. 3. Idem postea factum Imperatorum edictis, quæ vide apud Dionem Cassium l. 49. p. 417. in fine & l. 56. p. 583, in fine & l. 57, p. 609 in fine. Svetonium in Vitellio c. 14.

Ad sextum : Exempla partim esse ficta, partim dæmonis astu prædicta & impleta, partim fortuitò evenisse. Vide Gerardum Vossium l.2. de Idololatria c.48. p.571. & Petri Gassendi Epicurum, p.966.

Epilogus vanitatem hujus artis breviter amplificet, & ne unquam hujusmodi imposturæ credulam aurem præbeant auditores dehortetur.

XXXV.

ELOGIVM HISTORIÆ.

PRoœmium dilaudet apophthegma Agesilai, quod in Laconicis c. 18. recitat Plutarchus : *Interrogatus enim ille quo quis maxime pacto inter homines præclarum invenire nomen posset, respondit; si optima dicat & pulcherrima agat.* Utrumque hoc ut consequamur maxime juvat historia. Hic proœmij locus ab Aristotele monstratur l. 3. Rhet. c. 14. §. 6.

Propositio : Cum multiplex sit historiarum utilitas, præcipua illa est, quod primò ad pietatem, secundò ad prudentiam, tertiò ad eloquentiam nos informat, de quibus ordine dicendum.

Pars 1ma hoc Enthymemate constet : *historia speculum est divinæ providentiæ, Ergo multum facit ad pietatem.* Enthymema omne duobus præcipuè modis potest dilatari, primò si addatur intellecta major, ejusque probatio sive, quod eodem recidit, enthymematis consequentia probatur. Secundò si minor syllogismi, quæ enthymematis antecedens est, varie comprobetur. Prior modus quandoque omitti potest, nunquam autem ille posterior, antecedentis enim probationi necessario & diutissime est insistendum. Historiam autem divinæ providentiæ speculum esse liquet primo si singulos spectemus mortales. *Quod si enim ne passerculus*

culus quidem in terram cadit, citra voluntatem Patris cœlestis, quanto minus casuum humanorum ille incuriosus est censendus? secedat ergo in se quisque & serio expendat quoties ab incunabulis divino beneficio liberatus sit à lapsu, ab igni, ab aqua, à ferro, veneno, insidiis Satanæ & hominum, aliisque periculis. Atque ut periculum semel evasisse casui fortassis tribuatur, ita per omnes vitæ annos constanter præstari tutum, non potest nisi à providâ mente & vi majore proficisci.

Intuere & exempla aliorum ex. g. Iosephi patriarchæ: *hunc cum fratres invidia stimulati, perditum ire vellent, vendebant Ismaëlitis, at Deus hoc scelus ad Iosephi gloriam, ad fratrum & Iacobi salutem, ad Ægyptiorum, ipsiusque Pharaonis bonum dirigit. Somnium quod Deus Iosepho immiserat invidiam illi fecit, somnium Pharaoni immissum Iosephum è carcere exemit. Cum nihil pastoribus esset apud Ægyptios invisius, Rex Ægyptius Israëlitis optimos regni agros assignat.* Pariter & in aliis divina providentia elucet, si singulorum historiam & vitæ actus pensitemus.

Secundo clarius eadem illa se se exerit *in imperiorum per tot secula conservatione, multo enim tenuior est humana cum sapientia tum potentia, quam ut tot casuum incerta, tot improborum molimina, quibus imperia sunt exposita prævidere & avertere possint, atque hæc manifestiora fiunt quoties Deo visum est transferre imperia de gente in gentem. Excitat enim ille, tum Cyrum aliquem, aut Alexandrum, aut Cæsarem, cui illa quoque quæ extra rationem agit, sæpe non ex voto tantum, sed & supra votum fluunt. Unde autem hoc fit nisi à provida ejus curâ, qui temperat hoc universum;* Opponunt Epicurei veterem querimoniam, *Bonis male esse, malis bene,* Respondetur *querelam esse iniquam & vanam.* Primo enim *nimis propere isti judicant, nec rerum exitus opperiuntur. Venditur optimus Iosephus, regnat pro patre nefarius*

Absolo-

Absolomus, hic siste judicium tuum, dum quem eventum res sit habitura vel tibi vel posteris appareat. Adi Psalmum XIV. §. 1. & Claudianum initio l. 1. in Ruffinum. Secundò, *Qui ita queruntur, bonos pronunciant qui ut plurimum sunt mali*, Tertiò iidem *bona sæpe habent pro malis, mala pro bonis. Malum non est honoribus & opibus eum fraudari, cui viam virtutis illa præcluderent. Nec Socrates morte suâ miser est, quippe qui paucorum annorum defectum sempiterna nominis gloria pensavit, & exemplum constantiæ Atheniensibus reliquit, quòd ad metum numinis stimulos adderet.* Hæc & his similia plura de hoc argumento scitè scripsit Gerard. Vossius lib. de Philologia c. XIV. §. 14.

Secunda pars : *Historia prudentiam confert, Ergo maximè est utilis.*

Dilatabitur hoc Enthymema primò additione majoris propositionis: *prudentia in omni vita est summè utilis.* Probatur primo è definitione prudentiæ; *nihil enim illa est aliud, quam vivendi agendique scientia, quæ & præsentibus consulit, & in futurum providet.* Secundò à divisione, *ut & tibi & domui & reip. rectè consulere possis, prudentia præstat.* Tertiò à contrario, *imprudentes ubique impingunt, & suam pariter ac publicam rem perdunt.*

Idem Enthymema, porro dilatetur multiplici probatione antecedentis. Quod ergo Historia prudentiam conferat probatur primo inde, *quoniam suggerit tot negotia hominum, eorumque consilia, causas, prætextus, & eventus, velut in tabula proponit, unde de futuris rebus. omnium optimè capitur consilium.* Vide l. 1. Rhet. c. IV. §. 17. & l. 2. Rhet. c. XX. §. 22.

Secunda probatio antecedentis, exempla eorum recenseat, qui historiarum cognitione prudentiam sibi paraverunt, ut *Scipio Africanus posterior*, apud Cic. l. 1. ad Quintum Fratrem ep. 1. c. 8. & l. 2. Tuscul. quæst. c. penult. *L. Lucullus,*

Lucullus, ap. Ciceronem in Lucullo, cap. 1. *Augustus Imperator* apud Svetonium c. 89. *Alexander Severus* apud Lampridium p. 218. *Alphonsus Arragoniæ rex Livij & Cæsaris lectione se oblectavit & interrogatus, quosnam optimos ac fidelißimos Consiliarios sibi vendicaret, mortuos respondit.* Panormitanus.

Tertia probatio; sapientissimi viri ita pronunciarunt, Polybius l. 1. *Nulla est mortalibus ad proficiendum via expeditior, rerum ante actarum scientia.* Ciceroni l. 2. de orat. c. 9. *Historia dicitur vita magistra.* Diodorus Sic. l. 1. c. 1. *Aliorum erratis ad rectam vitæ institutionem pro exemplis uti, & ad varios in vitâ eventus, non quod gerendum sit quærere, sed quod rectè factum est imitari, scitum atque pulchrum est.* Liv. præfat. historiæ suæ: *Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, inde tibi tuæque reip. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Occupatio. *Nitar propria experientia.* Subjectio. *At hæc primò seram sapientiam gignit, secundò multis periculis est obnoxia.* Vide Diodorum Siculum l. 1. cap. 1.

Tertia pars: *Historia eloquentiæ quoque est magistra*, primò enim varia exempla suppeditat, quæ magna sunt dicendi materia. Vide l. 1. Rhet. cap. 2. §. 21. & 25. & l. 2. Rhet. cap. 10. §. 23. & 24.

Secundò, orationes quæ passim historiæ inseruntur, rationes, mores & affectus suppeditant, atque ut illa conformari, cieri aut sedari debeant, commonstrant.

Tertiò gravi & politâ dictione à præstantissimis autoribus historia est perscripta.

Quartò, Historiarum lectione profecerunt & aliis pariter in dicendo proficiendum esse censuerunt disertissimi quique, Demosthenes, Isocrates, Cicero, Quinctilianus.

M Epilo-

Epilogus attexi poteſt è duobus locis l. 3. Rhet. c. ult. §. 7. & 9.

XXXVI.

PRINCIPIIS OBSTA.

OVidij iſtud confirmari & dilatari poterit, primò enthymematibus, ex Ariſtotelis l. 5. Polit. c. 3. & 8. ubi præcipit in rep. μάλιςα τὸ μικρὸν φυλάτ]ειν.

II. Sententijs: Polybius l. 3. p. 164. edit. Græcolatinæ in fol. *Sæpe res maximæ à parvis principiis oriuntur, ubique autem primis aggreſſionibus & cogitationibus facilius medicinam facias.*

Cicero Philip. v. *Omne malum naſcens facilè opprimitur, inveteratum fit plerumque robuſtius.*

Vell. Paterc. l. 2. c. 3. §. 4: *Non ibi conſiſtunt exempla unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem latiſſimè evagandi ſibi viam faciunt. Et ubi ſemel recto deerratum eſt, in præceps pervenitur.*

Tacitus l. 4. Annal. cap. 32. v. 4. *Non ſine uſu fuerit introſpicere illa, primo aſpectu levia, ex queis magnarum ſæpe rerum motus oriuntur.*

Perſius Sat. III. v. 63:

Helleborum fruſtra cum jam cutis ægra tumebit
Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.

Ovid. l. I. de remedio amoris.

Vidi ego quod fuerat primo ſanabile vulnus
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

III. Similitudinibus: è Seneca l. 3. de beneficiis c. 29: *Nulla non res principia ſua magno gradu tranſit; Semina omnium rerum cauſa ſunt, tamen minimæ partes ſunt eorum quæ gignunt. Aſpice Rhenum, aſpice Euphratem, omnes denique inclytos amnes, quid ſunt ſi illos illic unde effluunt æſtimes? quicquid eſt quo timentur,*

tur, quo nominantur in processu paraverunt. Tolle radicem, nemora non surgent, nec tanti montes vestientur &c.

Et lib. I. de ira cap. 8. *In primis finibus arcendus est hostis, qui cum intravit & portis se intulit, modum à captivis non accipit.*

Curt. l. VI. c 3. §. II. *Parva sæpe scintilla contemta magnum excitavit incendium.*

Chrysostomus homil. 19. ad populum Antiochenum, p. 247. *Hoc exiguum neglectum & omne reliquum destruit. Sæpe namque domos ædificantes homines, & unius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt. Et in vestimentis parva facta scissura, nec resarcita, magnam fecit disruptionem. Hoc & in torrentibus multoties evenit; etenim & illi, si vel minimum ceperint ingressum, totum introducunt fluentum.*

IV. Pertinet huc illa Æsopi fabula de cane parturiente, apud Phædrum numero XIX quæ incipit: *Habent insidias hominis blanditiæ mali &c.*

V. Exempla duo Cæsar recenset apud Salustium in Catilina, cap. LI. Tertium addatur è Tacito l. I. Hist. cap. LXXX. §. I. Quartum è Livii l. IV. cap. 2. ubi Consules dicunt: *Certum habere, majores quoque si divinassent, concedendo omnia non mitiorem in se plebem, sed asperiorē alia ex aliis iniquiora postulando, cum prima impetrasset, futuram: primo quamlibet dimicationem subituros fuisse potius, quam eas leges sibi imponi paterentur.* Quintum esto Manuelis Comneni Imp. *qui*, ut est apud Nicetam VII, 2, *vel exiguum fomitem, ut magnam incendii caussam suspectam habebat & suborientia incommodorum semina statim exstirpabat, optimi agricolæ more, qui spinas adhuc teneras & degeneres frutices runcare solet.*

XXXVII.

CONTRA SOMNI ET CIBI INTEMPERANTIAM.

EXordium laudet in C.Iul.Cæsare,quod semper & somno & cibo in vitam, non in voluptatem fuerit usus, ut est apud Vell. Paterc. l. 2. c. 41. Locus iste exordij exstat l. 3. Rhet. cap. xiv. §. 11.

PARS PRIMA CONTRA SOMNVM IMMODICVM.

HUic dissvadendo sufficiet multiplex enthymema Platonis, l. 3. de legibus, p. 892. *Somnus multus nec corporibus nec animis neque rebus gerendis naturâ conducit*, è loco communissimo 2. Rhet. c. 23. §. 51. & 49.

Probationes sunt quia primo labefactat sanitatem, dum nimium humectat, accumulat crudorum humorum copiam, enervat vires, spiritus & calorem nativum obruit, ac suffocat &c.

Secunda probatio: mentem & sensus hebetat atque obtundit &c.

Tertia: opportuna negotiis tempora intercipit. Verè enim Plato loco jam allegato: *Nemo dum dormit alicujus pretij est, non magis quam si non viveret &c.*

Tertia hæc Enthymematis pars dilatetur inductione: *paterfamilias qui à servis excitatur rei domesticæ parum satagit, & nocet exemplo. Magistratus totam noctem dormiens, negligit publicam rem & hostibus malisque civibus occasionem præbet. Adolescens cui non arctiora sunt somni quam noctis tempora parum in studijs sapientiæ proficiet. Hæc enim ardua sunt & multarum vigiliarum.* Pertinet huc Senecæ epistola 122.

Post enthymema hoc mediocriter dilatatum, afferantur

tur exempla, Pythagoræ ejusque auditorum, de quibus vide Laërtium in vitâ Pythagoræ p. 577. Euclidis ap. Gellium l. VI. c. 10. Demosthenis apud Ciceronem l. 4. Tusc. quæst. cap. 19. *Cui non sunt auditæ Demosthenis vigiliæ &c.* & apud Stobæum serm. 29. p. 206, ex Aristotelis Chriis, Demosthenes interrogatus quo pacto sibi oratoriæ facultatem comparasset, respondit; *Plus olei quam vini consumsi.* Iuliani Imperatoris apud Ammianum Marcellinum l. 16. *Iulianus noctes ad officia dividebat tripartita, quietis, & publicæ rei, & musarum.* Et denique Gerardi Vossij, de quo Caspar Barlæus in epigrammate:

Sufficit acta dies aliis non sufficit illi
A solida studijs tempora nocte petit.

PARS SECVNDA.

Frustra vero ab immodico somno dehortamur nisi & caussa ejus tollatur. Ausonius initio Ephemeridis:

Tibi causa somni
Multa quod potas nimiaque pendis
— — — *mole saginam.*

Huic intemperantiæ dissvadendæ passim occurrit materiæ affatim, tantum digerenda ordine est, quod nunc quidem ista enthymematum serie fiat.

Primum enthymema: *Intemperantia cibi gravat corpus, ejusque & vires & formam imminuit.*

II. Enthymema, *Ingenium, iudicium, memoriam, animumque omnem corrumpit.*

III. Enthymema; *Alacritatem illam quæ justis laboribus exantlandis necessaria est intervertit.*

IV. *Omnibus sapientum vocibus est damnata.*

V. *Ipsius summi Numinis edictis prohibita.*

VI. *Æternam miseriam parit.*

Ἦθος in oratione ista ultro existet; laudare enim virtutem & reprehendere vitia per se est moratum, præsertim si modestè fiat, & ita ut benevolentia erga auditores ex oratione eluceat.

Epilogus, hortatione constet, insertâ amplificatione, & moto affectu verecundiæ l. 3. Rhet. c. 19. §. 5. 6. 7. & l. 2. Rhet. cap. VI. §. 4. 5. 12. 20. &c.

XXXIIX.

CONTRA IGNAVIAM.

PRimum enthymema, ignavia corpus debilitat eique morbos inducit, ergo est fugienda. Videte insignem locum Plutarchi, in de sanitate tuenda c. 44.

II. Enthymema: Ignavia mater est egestatis & famis.

III. Eadem animum quoque reddit inquietum. Huc pertinent elegantissimi versus Enniani apud Gellium l. 19. c. 10. pronunciati à choro Græcorum militum, cum ob maris tranquillitatem Aulide morarentur, *Otio qui nescit uti &c.*

IV. Denique animum plane dissolvit & corrumpit. Adite Iohannis Stobæi eclogas. 29. & 30.

XXXIX.

SILENTII BONUM.

PRimum enthymema: *Deus & sapientissimi mortalium silentium commendant.* Probatur ex initio psalmi xxxix, & historia Pambonis Eremitæ à Socrate descripta l. 4. hist. eccles. c. 18. It. ps. 141. v. 3. it. ex illustri loco epistolæ Iacobi c. 3.

Pythagoras quoque nihil prius discipulos suos docuit quam tacere, idemque gentium philosophi plerique diligenter commendarunt.

Secundum enthymema: *Fabrica humani corporis silentium commendat, os etenim unum homini attribuit natura, aures verò oculos-*

oculosque binos; Eadem duplici vallo cinxit linguam, osseo quidem dentium, carneo verò labiorum.

III. Enthymema è loco communissimo l. 2. Rhet. c. 23. §. 51. *Garrulitate multa sibi pericula mortales conciliant &c.*

IV. Enthymema: Simonidis verbum: *Silentij nunquam se pœnitentiam egisse, sæpe vero sermonis.*

Plura enthymemata suggerent Plutarchi de garrulitate libellus, & Stobæi eclogæ 33, 34, 35, 36, Adhibete & garruli characterem à Theophrasto tribus capitibus descriptum, Item Horat. lib. 1. sat. 9.

XL.

JEJUNII COMMENDATIO.

EXordium è libro 3tio Rhetoricorum c. xiv. §. 6, commendet illorum studium, qui summam curam habent pietatis, & eorum omnium, quæ istuc faciunt, sunt observantes. In confirmatione primum enthymemata, postea exempla, tandem & argumenta pathetica afferantur. Morata per totam spargantur orationem, quod fiet si ubique pietatem suam & serium studium virtutis, tum amorem auditorum suorum atque eos juvandi studium præ se ferat, qui dicit.

Enthymemata duo è communissimo effectorum loco ducantur. I. *Jejunium ad pietatem conducit. Extenuato enim corpore mens ad preces & rerum cœlestium contemplationem magis redditur idonea.* Dilatetur è loco communissimo contrariorum. — — — *corpus onustum*

Hesternis vitijs animum quoque prægravat una.

Secundum enthymema: *Facit etiam ad prosperam valetudinem.* A morbis enim innumeris, quos luxus gignit, jejunium nos tuetur; quin & morbos ipsos aut tollit, aut leviores reddit, efficacius nonnunqam, quam medicorum pharmaca.

III. En-

III. Enthymema è loco communissimo l. 2. Rhet. c. 23. §. 41. A judicio nempe sapientum, Ioelis 1. §. 14. c. 2. §. 12. Matth. 6. §. 17. c. 17. §. 21. 2. ad Cor. c. 6. §. 6.

Post enthymemata afferantur exempla veteris ecclesiæ, cum Iudaicæ tùm Christianæ 11. Chron. c. 20. §. 3. Esra. c. 8. §. 21. Psal. 35. v. 13. Ierem. c. 36. §. 9. Luc. 2. v. 37. Actor. 13. §. 23. Item hodiernæ & Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ. Denique affectus pudoris concitetur è locis qui extant l. 2. Rhet. c. vi. & ad exempla Livianarum orationum publicè nobis expositarum.

XLI.

E SVMMIS REGVM MINISTRIS, NONNVLLI INTERDVM MALE TANDEM PEREVNT.

PRoœmium conficiatur è l. 3. Rhet. c. xiv. §. 8. *Multum prodesse rerum eventus observare atque in illorum causas inquirere, hanc enim præcipuam esse viam parandi prudentiam.*

Dilatetur è loco contrariorum : *Si quis eorum quæ in vita accidunt, aut olim acciderunt, planè fit incuriosus, eorumque causas rimari pigretur, ne hominis quidem elogio dignus est, non enim utitur suâ ratione.*

Propositio : *Mihi per varias temporum vices & consignatas rerum memorias oculos circumferenti, cruenti exitus summorum in aulis ministrorum plurimi occurrerunt, quos attendere, & ad genuinas suas causas revocare, operæ pretium est visum.*

Fides primò enumeret illustria quædam hujus rei exempla, ut *Hermiæ* Antiochi M. ministri de quo Polyb. lib. vto. *Sejani* apud Cornelium Tacitum l. iv. & vi. Annalium, is cum operum Tiberij Imperatoris præcipuus adjutor esset, malè tandem cum omni familia sua periit, item *Plautiani* apud Herodianum l. 3. qui cum apud Imperatorem Septimium

ptimium Severum hujusque successorem Bassianum Caracallam præcipuo loco, hujus etiam socer esset, tandem omni honore exutus ac malè mulctatus est. Plura his similia & Græca & Romana historia suppeditat.

Post exempla, enthymemata afferantur, quæ causas infelicis exitus in medium producant. Prima causa est quod fortunâ suâ moderate uti nequeant, sed arrogantia intolerabilis illorum animos fermè soleat occupare. Unde fit ut res bene gestas, quas Regum auspiciis debebant, sibi præpostere tribuant. Clitus apud Curtium l. IIX. c. 1. §. 28. *Malè instituisse Græcos quod tropæis nomina Regum duntaxat inscriberentur, alieno enim sanguine partam gloriam intercipi.* Iosephus l. XIX. antiquit. cap. 7. de Agrippæ Regis præcipuo ministro, Sila, *Gravabatur Regi aliquo modo cedere, semperque licentius agebat cum eo, interdum extollens se immodicè, nunquam non labores in ejus gratiam exhaustos memorans, quæ cum sine modo repeteret, opprobare videbatur, ita ut Rex tandem offenderetur immodicâ libertate hominis &c.* Antonius Vespasiani Imperatoris minister apud Tacitum l. 3. Hist. *se Pannonicas*, ait, *legiones in arma egisse, suis stimulis excitos Mœsiæ duces, suâ constantiâ perruptas Alpes, occupatam Italiam* & quæ sequuntur. *De Philota* Curt. l. 6. *nimiâ jactatione gravem fuisse Alexandri auribus memorat, & ob ea non quidem sceleris sed contumaciæ tamen suspectum.*

Ceterùm malè atque imprudenter hoc fieri inde probatur, *perinde enim hoc est, ac si post curule certamen equus expostulare cum sessore velit, quod non & ipse coronetur.* Agrippa Augusti Imperatoris gener apud Dionem Cassium l. 49. *duo hæc eum qui suæ ipsius incolumitatis curam gereret, observare jubebat, unum, ut negotio præfectus è rerum difficultatibus, se ipsum explicaret, alterum, ut rei benè gestæ nomen, Principibus reservaret.*

Chrysostomus homil. 3. in Matthæum; *Nos quoque famulos habentes tunc eos maximè comprobamus, quando cum bonâ gratiâ in omnibus obsecuti, nihil se grande arbitrantur egisse.*

Prudentes itaque ad Regem referunt felices eventus, ut Ioabus, in obsidione Rabathæ de quo Iosephus l. VII. Antiq. cap. 7. *Hæc per literas*, inquit, *regi significavit, hortans ut ad excidium urbis ipse veniret, & hunc quoque titulum victoriis suis apponeret.* Eadem mente *Craterus in castris ad Artacacna omnibus præparatis, Regis expectabat adventum, captæ urbis titulo, sicut par erat, cedens*, Q. Curt. l. VI, 6, 33. Trajanus apud eundem Iosephum Vespasiano Imperatori excidium urbis Iaphæ reservavit, eumque per nuncios rogavit, ut filium suum Titum mitteret, finem victoriæ impositurum l. 3. de bello Judaico cap. 11. Idem *Germanicus* attendit, cum instructo tropæo Tiberii & Augusti mentionem usurpavit, *de se autê* (verba sunt Corn. Tac. l 2. Annal.) *nihil addidit.* De Achæis Polybius l. 2. memorat, *quod cum multis maximisque in rebus, socii Romanorum fuissent, nunquam sibi quidquam ex rebus gestis adscripserint &c.* Sejanus ut est apud Vell. l. 2. cap. 127. *actu otiosis simillimus fuit, nihil sibi vindicans, eoque assequens omnia semper infra aliorum æstimationes se metiens &c.*

Secunda causa mali hujus exitus est Regum invidia adversum ministros, prosperè rem gerentes, ut Saulis in Davidem 1. Samuel 18. §. 8. Philippi Macedonis, de quo Demosthenes Olynthiaca secundâ: *Qui cum eo versantur peregrini milites, & satellites opinionem illi quidem excitarunt se admirandos esse ac strenuos bellatores, sed ut ego è quodam in Macedonia nato audivi optimæ fidei viro, nihilo sunt aliis præstantiores. Nam etsi qui inter eos viri sunt rei militaris periti, eos, ut est ambitiosus, omnes ab eo repelli dixit, omnia volente facinora videri sua esse.* Et iterum orat. ad Epistolam Philippi, *Ita gloriæ cupidi-*

cupiditate inflammatum esse dicunt hi, quibus familiariter notus est, ut omnia præclara facinora, sua esse videri velit, & magis indignetur ducibus & præfectis qui aliquid laude dignum gesserunt, quam illis, qui prorsus offenderunt.

Simile quippiam de Alexandro refert Curt. l. VI. c. I. §. 18, ubi post memoratam cladem, Laconibus ab Antipatro illatam, ita pergit : *Nec fallebat Antipatrum dissentire ab animis gratulantium vultus : sed bellum finire cupienti opus erat decipi. Et quanquam fortuna rerum placebat, invidiam tamen, quia majores res erant, quam quas præfecti modus caperet, metuebat. Quippe Alexander hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur, suæ demtum gloriæ existimans, quicquid cessisset alienæ.* Et l. IIX. cap. 14. §. 46. *Simplicius famam æstimabat Alexander in hoste quam in cive. Quippe à suis credebat magnitudinem suam destrui, eandem clariorem fore, quo majores fuissent, quos ipse vicisset.* Eadem peste Tiberium Imperatorem afflatum memorat Corn. Tacit. l. I. annalium c. 52. *Nunciata ea Tiberium lætitia, curaque affecere. Gaudebat oppressam seditionem, sed quod largiendis pecuniis & missione festinatâ favorem militum Germanicus quæsivisset, bellica quoque Germanici gloriâ angebatur.* De Theodosio Zonaras tom. 3. *Mœnia translaturus & urbem amplificaturus, munus id Cyro præfecto mandat, qui magno studio & celeritate Cherseum murum à mari ad mare pertinentem intra dies sexaginta absolvit. Urbana igitur multitudo & opere delectata, & præfecti celeritatem admirata, publice exclamat : Constantinus condidit, Cyrus renovavit, quamobrem Cyrus invisus & suspectus Imperatori vel invitus tondetur ut Clericus.*

Tertia causa est metus regum, dum verentur ne hujusmodi ducis virtus ac gratia, imperium reddant controversum. Nicetas Choniates, l. 3. de Manuele Imperat : *Dum*

Tarsi agebat, Andronici patruelis fugâ è carcere illi nunciatur, ejus illi causa fueraut ea quæ supra diximus, sed tamen illa quoque incommoda, quod in dicendo liber, & viribus præstans & forma digna imperio praditus, nunquam animum submittebat. Quæ res omnes Imperatoribus regni amittendi metu suspectæ & molestæ esse consueverunt. Propter hæc igitur & bellicam virtutem, & generis nobilitatem, maxime observabatur & suspectus habebatur. Idem extimuisse Neronem & Domitianum Imperatores, cum duces ipsorum res egregie gessissent, narrat Cornelius Tacit. l. 16. Annal. c. 15. & in vitæ Agricolæ, c. 39.

Epilogus causas harum calamitatum breviter repetat & ut fortunam suam reverentius habeant, summos Regum ministros cohortetur.

XLII.

REPREHENSIO VOLVPTATIS.

EXordium è duobus locis auditores rcddat attentos, 1. propriis, 2. magnis è l. 3. Rhet. cap. XIV. §. 28. Primus ita adhibetor : *Si illi oratores qui res externas, parum sæpe ad nos attinentes proponunt, cupidè audiuntur, multo enixius mihi hodiè attendetis, qui de re ad vosmet ipsos maximè pertinente, de re vobis propria, & maxime necessariâ verba sum facturus &c.*

Secundus locus ita ferè exprimi poterit : *Nec exile quiddam, aut minutum elegi quod tractarem, sed tale omnino, quod valetudinem, vitam, famam, salutem & animi pariter ac corporis omnimodam felicitatem complectatur.*

Propositio : *Voluptas nimirum blanda illa domina est, quæ ni sedulò evitetur, omnia nobis solida bona, quin nosmet ipsos nobis eripit, quod quidem haut obscurè mecum intelligent, qui auribus animisque volent adesse.*

FIDES

FIDES.

PRimum enthymema è loco communissimo effectorum: *Voluptas animum, nobilissimam hominis partem, corrumpit. Ergo maximè est fugienda.*

Particulæ hujus enthymematis tractentur hoc ordine: primò præmoneantur auditores, per voluptatem hic intelligi non eam animi delectationem, quæ ex rebus honestis petitur, sed illam quæ falsi boni opinione sensus corporis præcipuè movet ac titillat, & immoderata est atque immodica. Hanc enim non vulgus tantum studiosè sectatur, sed & nonnulli, quod mirere, philosophorum discipuli sectandam docent. Vide B. Horneji Civilem de moribus doctrinam l. 1. c. 4. §. 2.

Deinde animi nostri excellentia delineetur, quippe *optima pars nostri, corpore longè præstantior, omnibus pretiosissimis sub sole rebus pretiosior, origine cœlestis, Deo simillima, immortalis, & ob id præcipuâ quâdam nostrâ curâ maximè digna.*

His præmissis demonstretur tandem ipsum enthymematis antecedens, nempe hanc tam præclaram, & divinam nostri partem, à voluptate corrumpi. Fieri id inde liquet, quod *appetitus sensitivus cupiditatibus suis totus immersus, & intellectûs & voluntatis operationes obscuret, deprimat, impediat, & instar tyranni ignobili ac perpetuæ servituti mancipet.* Plato lib. 4. de republicâ: *Voluptas omni nitri accrimonia, & calcis ad expurgandum rectas legitimasque opiniones acrior.* Seneca libro de vita beatâ c. XII. *Non voco sapientem, supra quem quidquam est, nedum voluptas, atque ab hac occupatus quomodo resistet labori, ac periculo, egestati, & tot humanam vitam circumstrepentibus minis? quomodo conspectum mortis, quomodo doloris feret? quomodo mundi fragores & tantum acerrimorum hostium,*

tam molli adversario victus ? quicquid voluptas suaserit faciet.

Nec in singulorum tantum hominum, sed & integrarum gentium animos, istam vim voluptas exercet. Apud Silium Italicum l. xv. de bello Punico, non procul ab initio, virtus voluptatem ita affatur:

— — — — aspice latè
Florentes quondam luxus quas verterit urbes,
Quippe nec ira Deûm tantum nec tela nec hostes
Quantam sola noces animis illapsa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes tibi luxus & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

Justinus lib. vii, 12. *Occupato in aliis bellis Cyro Lydi rebellavere, quibus iterum victis arma & equi ademti, jussitque cauponas & ludicras artes & lenocinia exercere, & sic gens industria quondam potens & manu strenua, effœminatâ mollitie, luxuriaque virtutem pristinam perdidit, & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit.*

Plutarchus in apophthegmatibus Regum cap. vi. *Xerxes iratus Babyloniis ob defectionem, cum eos in potestatem suam redegisset, interdixit armorum gestationem, jussitque fidibus & fistulis canere, lenocinium & cauponam exercere, ac tunicas gestare sinuosas &c. Aristodemus Cumanorum tyrannus* ut est apud Dionys. Hal. l. vii. cap. 8. *ne in ceterorum civium,* Cumanorum *ullo animus existeret generosus ac masculus, dedit operam ut effæminaretur tota urbanæ juventutis educatio, sublatis gymnasiis & armorum meditationibus, & mutata victus ratione, qua primo utebantur pueri, jussit enim eos more virginum comam alere, flores & cincinnos gerere, reticulisque crinium nodos religare, indui pictis tunicis talaribus, tenuibusque & mollibus amiciri lænulis & in umbra degere. In ludum saltatorium & ad tibicines aliosque musicarum illecebrarum artifices comitabantur eos pædagogæ mulie-*

mulieres cum umbellis & flabellis: ipsæque lavabant eos, pectines in balnea deferentes & alabastros unguentarias ac specula. Hujusmodi educatione corruptos usque ad annum ætatis vigesimum, tum demum inter viros censeri passus est. Augusti Imperatoris verbum est apud Dionem Cassium l. 50. *Fieri non potest ut is qui regio luxui mollitieique muliebri indulget, viro aliquid dignum vel consulat vel agat. Est enim necesse omnino ut quibus unusquisque vitæ rationibus utitur, earum similis reddatur.* Onosander. cap. IX. *Otio quidem corporis vires mollescunt & languent, desidiâ verò animi veluti evirantur, socordesque & ignavi fiunt. Nempe blandimenta voluptatum assiduo abusu ferocissima quæque pectora enervant & absumunt,* Claudianus l. 3. de laud. Stilic. v. 160.

— — nam cetera regna
Luxuries vitijs odiisque superbia vertit,
Sic malè sublimes fregit Spartanus Athenas
Atque idem Thebis cecidit, sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses.
Subjecit Persen Macedo cessurus & ipse
Romanis.

Adite Athenæum l. XII. ubi enumerat populos voluptate eviratos.

Secundum enthymema: *Voluptas corpori nocet. Ergo procul amovenda est.*

Dilatandi causâ primò afferatur elogium corporis, est enim illud animæ & domicilium & instrumentum & imago quædam, cujus fabrica venusta, celsa, erecta, omnium ceterorum animalium corporibus pulchritudine antistat, quin ipsius universi quoddam instar est. Vide Ambrosium ἑξαημέρῳ l. VI. c. 9. & Maximum Tyrium dissert. 38. p. 380.

Inde loco majoris intellectæ probatio ejusdem affe-

ratur; *Impium fuerit tam admirabilem & divinitus constructam compagem, illud animæ instrumentum lædere, fœdare, corrumpere &c.*

Demum accedat probatio antecedentis hujusmodi: *Corporis vires infringit voluptas, inducit morbos, ac præmaturam mortem &c.*

Tertium enthymema: *Voluptas pestis est rei familiaris, Ergo diligenter evitanda.*

Probatur antecedens: *Curam enim rei familiari debitam, Proventus item in familiæ necessitatem impendendos deliciarum cupido ac studium intercipit.*

Quartum enthymema: *Voluptas pecudis potius quam hominis bonum est, Ergo procul summovenda.*

Diducatur hoc enthymema additione majoris ejusque probatione, tum demonstratione minoris, & iteratâ conclusione.

Quintum enthymema: *Voluptas servitus est, adeoque turpissima, ergo procul fugienda.*

Dilatetur *primò* demonstratione quam sit res præclara libertas &c. *Secundò* acerbitas servitutis ob oculos ponatur, de qua inter alios agit Laurentius Pignorius lib. de servis p. 5. & seqq. *Tertiò* acerbior illa servitus est quæ inferiori & deteriori est præstanda &c. His denique subjiciatur *quartò* probatio minoris, *nempe affectibus suis, gulæ, abdomini effrenatisque cupiditatibus suis succumbere ac mancipatum esse, turpissima servitus est. Pars enim nostri melior tum succumbit deteriori.* Itaque Diogenes Alexandro se potiorem esse dicebat, *quod ijs affectibus imperaret, quibus Alexander serviebat.* Cæsar oratione adversus seditiosos milites apud Dionem Cassium l. 41. *Turpe est modo ea voluptate duci, cujus post pœniteat: indignumque est eos qui hostibus superiores evaserint, voluptatibus*

ptatibus succumbere. Agesilaus apud Plutarchum in Apophth. Laconicis; *Malle mihi videor cupiditates vincere, quam populosissimam hostium repugnantium urbem capere. Melius est enim suam ipsius conservare libertatem, quam alijs eam adimere.* Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 377. *Non qui externos barbaros vincit hic victor meritò vocandus fuerit, sed qui intestinum voluptatum bellum conficit. Multi enim ab illis devicti, fœdum ac miserandum in modum capti sunt.*

Sextum: *Voluptas brevis est, at longum dolorem parit.* Seneca l. 7. de beneficijs cap. 2. *Voluptas fragilis est, & brevis, fastidit abjecta, quo avidius hausta est, citius in contrarium recidens, cujus subinde necesse est aut pœniteat aut pudeat.* Idem in lib. de vitâ beatâ cap. 7. *Voluptas tum cum maximè delectat extinguitur.* Idem ad Polybium, cap. 29. *Citò nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & transit, & penè antequam veniat, aufertur.* Isid. Pelusiota l. 2. epistola 174. *Voluptas in exitiosum ac pestiferum finem desinit, quo circa satius est à laboribus ad requiem, quàm à voluptate ad cruciatum proficisci.* Claud. l. 2. de laud Stilic. v. 132.

— — — — nec te jucundâ fronte fefellit
Luxuries, prædulce malum quæ dedita semper
Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus
Membraque Circæis effœminat acrius herbis,
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla
Interiùs, fucata genas & amicta dolosis
Illecebris &c.

Denique omnium horum enthymematum conclusio repetatùr additâ exhortatione, ut incauti, juvenes inprimis, à blandæ hujus dominæ illecebris sibi caveant.

XLIII.

ENCOMIUM VOLUPTATIS.

EXordium & Propositio in hanc sententiam formentur: *Turpes voluptates nemo sapiens, nemo bonus, unquam probabit, at justas & legitimas, nemo sanus detestabitur &c.*

Primum enthymema: *Est enim à naturâ ipsa appetitus jucundi nobis insitus &c.*

Secundum enthymema: *Voluptas comes virtutis est.*

Tertium enthymema: *Laborum incitamentum & condimentum.*

Quartum enthymema: *Sapientissimi quique voluptatem inter præcipua bona numerarunt.*

Quintum enthymema: *Æternæ ac immortalis vitæ, quò aspiramus, beatitudo in voluptate consistet, divinitus parata &c.* Adite Max. Tyrij philosophi Platonici dissert. 33. qua demonstrat: *Voluptatem omnium finem esse.* Item Florilegium Tobiæ Magiri pag. 2387.

XLIV.

CONSILIA NON SUNT EX EVENTU JUDICANDA.

PRoœmium ἐκ τοῦ πράγματος l. 3. Rhet. cap. xiv. §. 20. & 44. reprehendat vulgarem illum morem, quo consilia ex eventis ferè æstimant mortales. Addatur morata oratio: *Non inani quodam pluribus contradicendi studio, sed gravibus rationibus adductus à communi hominum sententiâ diversum sentio.*

Propositio: *Liquebit id ex ijs quæ sum dicturus, dabo enim operam ut quam iniquum sit ex eventu consilia æstimare omnes intelligant.*

FIDES

FIDES.

PRimum enthymema è loco communissimo l. 2. Rhet. c. 23.§.41. *Iamdudum sapientes viri questi sunt de pravâ optimorum consiliorum ex eventu cavillatione.* Plaut. in Pseud. act. 2. sc. 3. vers. 13. *Proinde ut quisque fortuna utitur*

Ita praecellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.
Bene ubi quod consilium dicimus accidisse, hominem catum
Eum esse declaramus : Stultum autem illum cui vortit malè.

Cic. in orat. pro Rabirio Posthumo : *Hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus, & cui bene quid processerit, multum illum providisse; cui secus, nihil sensisse dicamus.* Cornelius Tacitus l.4. Annal. *Vulgus ex opinione multa, ex veritate pauca judicans, fortuita ad culpam trahit.* Plin. l. 5. epistolâ 21. *Est omnino iniquum, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout malè aut prosperè cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur* Boëth. l. 1. prosa 4. *Hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod existimatio plurimorum non rerum merita sed fortunae spectat eventum.*

Sententiae autem istae non nudè allegandae, sed vestiendae sunt elogiis ipsorum autorum, occasione & causâ, ob quam prolatae, commendatione sapientiae quae in illis latet, &c.

Secundum enthymema è communissimo causarum loco : *Eventus saepe est à fortuna* h. e. à *causâ humanis consiliis potiore. Malè igitur inde consilia culpantur.*

Explicabitur *primò* probatione intellectae majoris : *Quod in manu nostrâ non est vitio nobis verti minimè debet.*

Secundò : probatione antecedentis : *Quemadmodum nauclerus licet artem nauticam providè omnem adhibeat, tamen vi tempestatis in avia & scopulos abripi potest, ita consiliator etiam*

iam cum maximè salutaria suadet atque patrare insit à vi majore exitu sæpe fraudatur.

Dilatetur exemplo Pyrrhi, de quo memorabilis locus extat in Dionys. Halicarnassei excerptis Peirescianis; *Bello victus ac profligatus est à Romanis Pyrrhus, neque tamen contemnendum aut imperitum rei militaris habebat exercitum, sed optimos totâ Græciâ milites, ac plurimis bellis exercitatos; atque eorum non exiguas copias, sed ter tanto ampliores Romanis, Neque ipse dux erat vulgaris sed quem omnes ætatis suæ præstantissimum fatentur fuisse. Postremo nec loci iniquitas neque auxilia submissa hostibus ac repente supervenientia; neque ulla calamitas aut fortuitus casus res Pyrrhi afflixere, sed solus indignantis Deæ furor.*

Exempli nuda commemoratio oratori haud quaquam sufficit, sed partes ejus ac circumstantiæ expendendæ sunt & conclusioni applicandæ. E. g. hoc in loco ita ferè illud fiet: *Cum omnes boni ducis partes in hâc acie Pyrrhus impleverit, nec desiderato eventu sit potitus, quodnam ejusdem consilium reprehendes? An locum? aut tempus? at delegerat oportunum. An milites? at veteranus erat, exercitatus, & triplo major hostium numero. An mandata, vigilantiam, aciei formam culpabis &c. Ut satis constet consilium Pyrrhi rectum fuisse & sapiens, sed eventum à majore vi præpeditum.*

Tertium enthymema: *Animi propositum bonum malumve, & rationes negotii conficiendi, providæ an vecordes, unum illud sunt unde laudari aut vituperari mortalium actiones debent.* Probatur inde, *quia id unum nostræ potestatis est &c. Quod autem nostræ potestatis non est, vitio nobis verti minimè debet.*

Illustretur laudatione legis Ægyptiæ & Carthaginiensis,

fis, De illâ Diod. Siculus lib. 1. cap. 82. narrat, Ægyptios de Medicis legem tulisse, ut si quis non servatis præceptis artis Medicæ quempiam suscepisset curandum, quamvis sanatus esset, Medicus securi plecteretur, si vero Medica præcepta observavisset etiamsi æger mortuus esset, laudibus tamen ille extolleretur. *Carthaginienses autem*, ut est apud Valer. Max. lib. 2. cap. 7. *duces pravo consilio bellum gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebant, quod bene gesserant Deorum immortalium adjutorio, quod male commiserant ipsorum culpæ imputantes.*

Secundò idem enthymema illustretur sapienti voce Artabani ad Xerxem regem apud Herod. l. 7. *Svadeo tibi*, inquit, *ô rex bene delibera, in eo enim maximum est lucrum. Nam etiamsi aliter accidat, nihilominus tamen bene consultum est, & superavit fortuna consilium; qui verò male consilium cepit, si maxime fortuna ei arrideat, & voti sui compos fiat, nihilo tamen secius, malè consultum est.*

Denique addatur morata oratio: *Non dicam cum Poëta:*

— — — careat successibus opto

Quisquis ab eventu facta notanda putat. (Ovid. epistolâ 2.) *Quin imò eam mentem precor his arbitris, ut desinant hallucinari, & potius vero suo pretio consilia æstimare discant &c.* Vid. Piccarti obs. Hist. Polit. 1. 10.

XLV.

USURÆ SUNT ILLICITÆ.

PRimum enthymema: *Usuræ repugnant juri naturali, Ergo sunt illicitæ.* Probatur antecedens: *Pecunia enim sua natura res est sterilis, hac fini tantummodo inventa ut sit instrumentum commutationis.* vide Arist. 1. Polit. x. Præterea *injustum est*

plus recipere quam dederis, inæquale enim hoc est. Fit autem hoc in usura.

Secundum enthymema: *Lex divina vetat Hebræos Hebræis dare pecuniam fœnori* Levit. cap. XXV. & Deut. XXIII. Ergo *nec Christianus à Christiano exiget, etenim ut Israelitæ inter se, ita & Christiani fratres sunt.*

Tertium Psalmo XV^to. 5 & Ezech. 18, 8. 13. 17. alijs maximè moralib. annumeratur non exigere usuram, & fœneratores è tabernaculo Domini ejiciuntur ac è monte sancto præcipitantur.

Quartum enthymema: *Quin Servator noster expreßè edicit: Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. c. VI. §. 35. Quod Servatoris verbum de fœnore nonnulli priscorum piorumque interpretum acceperunt.

Quintum enthymema: Multa mala è fœnore nunquam non fuere enata. Recensent illa Plutarchus in lib. de vitando ære alieno, & ex parte Corn. Tacitus lib. 6. Annal. c. 16. §. 2. & seqq.

XLVI.

USURAS ESSE LICITAS.

PRimum enthymema: *Ut alius meâ pecuniâ juvetur ac res suas augeat, neque mihi ultra sortem quidquam retribuat, præter periculum amittendi, rationi consentaneum non est. Licet ergo petere usuram.*

Secundum enthymema: *Dum meam pecuniam alteri do mutuam, ego interim destituor occasione, meo illo ære utendi in rem meam. Dictat autem naturâ non teneri quenquam prodesse alteri, cum detrimento suo. Licet itaque accipere usuram.*

Tertium enthymema: *Pecunia est in eo rerum genere, quæ*

quæ locari possunt. Ergo licet pro usu ejus aliquid exigere. Probatur antecedens; *Possum enim alteri concedere jus utendi meâ pecuniâ, non translato dominio. At quod eâ lege alteri conceditur locari potest.*

Quartum enthymema: *Omnis opera quæ non est debita, si præstetur, justo precio æstimari potest. Atqui officium mutuandi est hujusmodi opera, quæ non est debita. Ergo justo precio, quod videlicet officio illi sit æquale, æstimari potest. Hoc autem precium ipsa est usura.*

Quintum enthymema: *Ius civile Romanum usuras permittit.* Dilatetur elogio juris Romani.

Post δεικτικὰ hæc enthymemata sequantur ἐλεγκτικὰ, quibus allata in contrarium refutentur. Ad primum ergò respondetur, *nummum commutationis causâ quidem primùm esse introductum, at mox oportunitate ipsâ invitante & hominum solertiâ, rem minime sterilem esse, sed valde fructuosum. Neque plus quam dederat, recipere creditorem, cum debitor non sortem tantùm sed & usum sortis in manu suâ habuerit. Sors itaque pro sorte, usurâ pro usu redditur.*

Ad secundum & tertium respondetur: *Mosen, Davidem, Ezechielem, non loqui de moderatô quodam precio usûs, nostræ alteri præbitæ pecuniæ; sed de eo quod extorquetur cum oppressione proximi, de exactione immiti, atque inhumanâ, quando vel fœnus exigitur grave atque immodicum, vel sors eo tempore repetitur quando non nisi maximo suo incommodo debitor solvere illud potest. Id enim si fiat, tum non adjutum, sed admorsum se esse* (hoc significat vox Hebræa qua sacri scriprores utuntur) *& mutuatione in majores angustias adactum meritò debitor queratur.*

Ad quartum respondetur: Servatorem Luc. 6. v. 36. *Non*

Non de usurâ loqui, sed id dicere, etiam cum parem beneficij vicem non expectamus, tamen beneficium exhibendum & mutuum dandum esse.

Ad quintum: Plutarchi, Taciti, aliorumque sapientum de fœneratoribus verba, non de eo quod intrinsecum est usuræ, sed de hoc, quod illam vitio fœneratorum plerumque consequitur esse intelligenda. Vide Hugonem Grotium l.2. de Iure pacis & belli cap. 12. & Commentario ad evangel. Lucæ c.6. v.35.

XLVII.

CONSCIENTIÆ SUMMA RATIO EST HABENDA.

PRimum enthymema: *Læsa enim mordet graviter.*

Secundum enthymema: *quin perpetuò pungit neque unquam fere nos quiescere finit.*

Tertium enthymema: *Est Iudex incorruptus, qui falli aut eludi minime potest.*

Quartum enthymema: *Levissimæ rei monitu suam nobis admovet carnificinam.*

Quintum enthymema: *Neque est cujusquam mortalium tantum animi robur, ut summovere illius vim possit.*

Sextum enthymema: *Fortuna ut ut quosdam malis suis interdum eripiat, conscientiæ tamen tormenta non avertit.*

Sententias & exempla quibus singula ista enthymemata dilatari queant, collegit clarissimus vir Michael Piccartus observat. historico-politicarum decade 7. c. 7.

XLIIX.

CONTRA VINDICTAM PRIVATAM.

PRoœmium de re nimium quidem vulgari, at magni momenti

menti & quam sollicitè expendi omnium intersit, se verba facturum promittat. L. 3. Rhet. c. 14 inciso 28.

Hæc prælocutus commemoret vitium nostri seculi, quo *privatam vindictam non licere tantum, sed & gloriosam esse, nimium multi stultè sunt persvasi.*

Ceterum divinis humanisque legibus & rectæ rationi adversam esse spondeat se demonstraturum.

FIDES.

PRimum enthymema: *Vindicta privata Deo exosa est & severè prohibita.* Vide Levit. cap. XIX. §. 18. Deut. XXXII. cap. §. 35. Proverb. cap. XX. §. 22. & capite XXIV. §. 29. Ezech. cap. 25. §. 12. Hæc autem loca scripturæ non annumerare tantum & referre, sed sententiam illarum, vim, autoritatem, circumstantias expendere, explicare, atque ad demonstrandam conclusionem, accommodare oportet.

Secundum enthymema: *Christianæ quidem fidei maximè est contraria*, ut constat ex oratione Christi Matth. cap. V. §. 39. & seqq Luc. cap. IX. §. 54. Item ex Apostolorum, divinæ mentis interpretum, oraculis ad Roman. cap. XII. §. 17. 1. ad Thessal. c. V. §. 15. 1. Petri 3. §. 9.

Tertium enthymema: *Non tantum contra Dei mandatum delinquit privatus vindex, sed & id quod ipsius Dei est, nefarie sibi vendicat.* Deus enim est injuriarum vindex supremus. Deut. cap. 32. §. 36. Nahum cap. 1. §. 2. ad Roman. 12. §. 19. 2. ad Timoth. c. 4. §. 14. Apoc. c. 6. §. 10.

Quartum enthymema: *Post Deum magistratus est legitimus vindex, Ergo quod hujus est sibi rapit ultor hujusmodi.*

Primum enthymema : *Qui modum excedunt peccant in naturam, cui omne nimium est inimicum, perniciem videlicet, nunc corpori afferens nunc animo, sæpe vero utrique.*

Secundum enthymema : *Res, famam, honores & bona sua omnia, periculo exponunt ac ferè perdunt, qui nullâ in re, neque in dictis, nec in factis, mediocritatem servare norunt.*

Tertium enthymema : *Iidem alienant à se animos bonorum, qui ita ferè sunt animati, ut immodica omnia aversentur.*

Quartum : *Iisdem jucundissima quæque ob excessum fiunt acerba.*

Quintum : *Modus contra est naturæ conveniens.*

Sextum : *Ab optimo quoque & sapientissimo viro commendatur.* Huc pertinent sententiæ sapientum de mediocritate servanda passim obviæ.

Septimum : *Mediocritatem in omnibus & dictis & factis servare difficile est, at longe optimum, & laudatissimum.*

Octavum : *Moderata durant, ea vero quæ modum excedunt, cito desinunt.*

Nonum denique: *Omnibus in rebus modus tutissimus est, ac ab omni incommodo & periculo tandem liber.*

Epilogus compendio repetat præcipua argumenta & auream mediocritatem ejusque fructum auditoribus etiam atque etiam commendet.

FINIS DISPOSITIONUM ORATORIARUM.

ADDEN-



ADDENDA.

Pag. 7. verſ. ult. *poſt* in his inſunt, *adde:* hoc eſt quæ vel de ſubjecto concluſionis hujus prædicari, vel prædicato il lius ſubjici queunt.

Pag. 8. verſ. 9. *poſt* referantur, *adde:* πάθητά verò ſunt quæ vel rationem aliquam ſuppeditant, vel affectum cient, vel moratam denique orationem ſpirant.

Pag. 9. verſ. 4. *poſt illa* §. 35. & 36. *adde:* & l. II. Rhet. cap. XXIII. §. 75.

Ibid. verſ. 8. *poſt* Principium *adde:* ſive major propoſitio.

Pag. 10. verſ. 23. *poſt* reliquum evertet, *adde:* I Rhet. VI. §. 10. & II.

Pag. 15. verſ. 4. *poſt* intentum *adde:* aſſeveret.

Pag. 33. verſ. 26. *poſt* probi animi virum, *adde:* Argumenta huic comparationi ſuppeditabit caput VII. libri I. Rhet.

Pag. 35. verſ. 7. *poſt* Plutarch. apophth. 46. *adde:* Lycus apud Senecam in Herc. fur. verſ. 337.

Non vetera patriæ jura poſſideo domus
Ignavus hæres: nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus

Sed clara virtus. Qui genus jactat suum
Aliena laudat.

Galenus in hortat. ad artes disc. cap. 4. *Qui se splendore generis efferunt, ij cum bonis, quæ propria sint, careant ad genus ostentandum confugiunt, cum ne id quidem intelligant, splendori generis, quo admirabiles videri volunt, idem usu venire, quod civitatum numismatis, quæ cum apud eas ipsas civitates probata plurimum valeant, apud alias tamen gentes & adulterina haberi, & nihili fieri cernuntur.*

.. . ead. vers. 9. post, *alijque &c.* adde: Enumerat hos & iis similes multo plures Gerard. Voss. lib. 1. Inst. Orat. cap. v. num. 14. pag. 65.

Pag. ead. *post* Themistoclis, *adde*: Hæc enim illa sunt quæ virtutem efficiunt.

Pag. 36. vers. 7. *post illa* cap. 1. §. 3. *adde*: Adi l. 1. Rhet. cap. ix. §. 44. & seqq.

Pag. 49. vers. 2. *post* ultus est, *adde*: plura enthymemata suppeditabit locus communis *de facto* l. 2. Rhet. cap. xix. §. 22. & seqq.

Pag. 54. vers. 17. *post* consistit *adde*: lib. 1. Rhet. cap. iv. §. 22. & seqq.

Pag 93. vers. 28. post *intervertit*, adde: Hæc tria enthymemata è communissimo effectorum loco, item è 2. Rhet 23. §. 76. sunt petita.

Ibid. vers. 30. post *prohibita*, adde: è loco communissimo 2. Rhet. 23, 41.

Ibid. vers. 31. post *parit*, adde; Quæ id quod felicitati contrarium est (est autem miseria felicitati contraria) pariunt, agenda non sunt 1. Rhet. v, 3.

Pag·

Pag. 97. verſ. 19. *poſt illa*, lib. 3. Hiſt. *adde* : Cap. 53. §. 2.

Pag. ead. verſ. 22. *poſt* Curt. l. 6. *adde* : cap. 8. §. 3.

Pag. 108. verſ. 4. *poſt* Peireſcianis, *adde* : pag. 544. edit. Valleſianæ Lutet. Pariſ. Anno 1634.

Pag. ead. verſ. 13. poſt *Deæ furor*, adde : Non immeritò tamen è conſiliis Pyrrhi maximè illud reprehenditur, quod ſacram pecuniam in hujus belli uſum deſtinaverat, ob id, ut & ipſe agnovit hanc cladem paſſus.

CORRIGENDA.

Pag. 7. verſu 16. *pro* animus *ſcribe* animos.
Pag. 8. verſ. 12. *pro* facit, *ſcribe* faciat.
Pag. 15. verſ. 27. *pro* acceperant, *ſcribe* acceperunt.
Pag. 16. verſ. 5. *pro* Tandem *ſcribe* Denique.
Pag. 30. verſ. 15. *pro* arguat *ſcr.* arguant,
Pag. 35. verſ. 2. pro *viti* ſcribe *niti.*
Pag. ead. verſ. 27. *pro* rguta, *ſcribe* arguta.
Pag. 36. *pro* virtutem *ſcribe* virtutum.
Pag. 44. verſ. 17. *pro* qua *ſcribe* quæ.
Pag. 45. verſ. 1. *pro* quæ *ſcribe* qua.
Ibid. verſ. 25. *pro* cicato *ſcribe* citato.
Pag. 46. verſ. 10. *pro* Mauſiniſſam *ſcribe* Maſiniſſam.
Pag. 47. verſ. 14. *pro* inceſſu *ſcribe* inceſtu.

Pag.

Dilatetur primo additione majoris : *Nefas est magistratus autoritatem convellere, ejusque potestatem sibi vindicare.* Secundo probatione minoris: *Magistratui* Deus *ultor vices suas concessit.*

Quintum enthymema : *Ultio privata rectæ rationi adversatur.* Probatur antecedens : *Habet enim pro fine dolorem inimici; at in solo inimici dolore, ita nudè spectato, nullum est bonum, nisi falsum, & imaginarium.* Dictat autem ratio, nihil agendum quo noceatur alteri, nisi id bonum aliquid habeat propositum. Vid. Hugonem Grotium l. 2. de Iure pacis & belli cap. xx. §. 5.

Sextum enthymema : *Eadem adversatur dictis & factis sapientum virorum, nec Christianorum tantum, sed & externorum.* vide Platonem in Dialogo qui inscribitur Crito, item Senecam l. 2. de ira cap. 32. Maximum Tyrium dissert. 2. Hugonem Grotium l. iv. de verit. relig. Christ. pag. 140. & 492. edit. Paris. in 12. Anno 1640. Ariston Spartianus : *dicenti cuipiam regium esse amicis bene, inimicis male facere; imò inquit amicis bene facere; inimicos amicos reddere.* Apud Plut. *Dion, ille Siciliæ liberator, philosophici studij veram demonstrationem in eo ait positam, non ut quis in amicos benignus sit, sed si quis injuria affectus, sit exorabilis, clemens in eos qui deliquerunt.* Musonius : *Id cogitare quomodo quis remordeat mordentem, & nocenti noceat, feræ est non hominis.*

E factis sapientum unum alterumve recensebimus. *Pittacus potestatem habens puniendi quempiam qui contumeliosus in ipsum fuerat, dimisit eum, inquiens : Venia ultione melior est; Illa namque mitis est ingenij, hæc ferini.* Stobæus sermone 19.

Percusserat aliquis Catonem in balneo insciens: Excusanti postea

&

& satisfacienti Cato non memini inquit me percussum. Seneca in de constantia sapientis cap. XIV. & ibi Lipsius.

Phocio Atheniensis allato jam cicutæ poculo interrogatus, filione aliquid mandaret: Mando, inquit, *ne Atheniensibus memorem te injuriarum præbeas.* Plut. Apopht. 73.

Huc pertinet Thrasybuli lex oblivionis, quam memorat Corn. Nepos in Thrasybulo & laudat Cicero Philip. 1. sub initium.

XLIX.

TVRPE EST CALVMNIARI.

PRimum enthymema: *Oritur enim à libidine aut mentiendi, aut in pravum torquendi ea, quæ in bonum sensum accipi poterant, utrumque autem turpe est.*

Secundum enthymema: *Injuriam infert illi quem calumniatur. Nemo autem bonus alteri nocere cupit.*

Tertium enthymema: *Injuriam illi infert, apud quem alterum calumniatur. Habet enim illum pro vecordi, cui mendacia persvaderi possint, & eundem ad pravas suspiciones & male sana cum consilia tum facta propellit.*

Quintum enthymema: *quin calumniator sibi quoque ipsi nocet, veritate enim patefactâ, sibi infamiam & sæpe pœnas accelerat calumniator.* Adi Piccartum observationum historico-Politicarum decade 8, c. 10.

L.

NE QVID NIMIS.

PRoœmium laudet morem probe observandi sapientum sententias, natas è maturâ experientiâ, & certi ac quotidiani in humana vita usûs.

Primum enthymema : *Qui modum excedunt peccant in naturam, cui omne nimium est inimicum, perniciem videlicet, nunc corpori afferens nunc animo, sæpe vero utrique.*

Secundum enthymema : *Res, famam, honores & bona sua omnia, periculo exponunt ac ferè perdunt, qui nullà in re, neque in dictis, nec in factis, mediocritatem servare norunt.*

Tertium enthymema : *Iidem alienant à se animos bonorum, qui ita ferè sunt animati, ut immodica omnia aversentur.*

Quartum : *Iisdem jucundissima quaque ob excessum fiunt acerba.*

Quintum : *Modus contra est naturæ conveniens.*

Sextum : *Ab optimo quoque & sapientissimo viro commendatur.* Huc pertinent sententiæ sapientum de mediocritate servanda passim obviæ.

Septimum : *Mediocritatem in omnibus & dictis & factis servare difficile est, at longe optimum, & laudatissimum.*

Octavum : *Moderata durant, ea vero quæ modum excedunt, cito desinunt.*

Nonum denique: *Omnibus in rebus modus tutissimus est, ac ab omni incommodo & periculo tandem liber.*

Epilogus compendio repetat præcipua argumenta & auream mediocritatem ejusque fructum auditoribus etiam atque etiam commendet.

FINIS DISPOSITIONUM ORATORIARUM.

ADDEN-



ADDENDA.

Pag. 7. verf. ult. *poſt* in his inſunt, *adde:* hoc eſt quæ vel de ſubjecto concluſionis hujus prædicari, vel prædicato illius ſubjici queunt.

Pag. 8. verf. 9. *poſt* referantur, *adde:* ἠθικὰ verò ſunt quæ vel rationem aliquam ſuppeditant, vel affectum cient, vel moratam denique orationem ſpirant.

Pag. 9. verf. 4. *poſt illa* §. 35. & 36. *adde:* & l. II. Rhet. cap. XXIII. §. 75.

Ibid. verf. 8. *poſt* Principium *adde:* ſive major propoſitio.

Pag. 10. verf. 23. *poſt* reliquum evertet, *adde:* I Rhet. VI. §. 10. & II.

Pag. 15. verf. 4. *poſt* intentum *adde:* aſſeveret.

Pag. 33. verf. 26. *poſt* probi animi virum, *adde:* Argumenta huic comparationi ſuppeditabit caput VII. libri I. Rhet.

Pag. 35. verf. 7. *poſt* Plutarch. apophth. 46. *adde:* Lycus apud Senecam in Herc. fur. verf. 337.

Non vetera patriæ jura poſſideo domus
Ignavus hæres: nobiles non ſunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus

Sed clara virtus. Qui genus jactat suum
Aliena laudat.

Galenus in hortat. ad artes disc. cap. 4. *Qui se splendore generis efferunt, ij cum bonis, quæ propria sint, careant ad genus ostentandum confugiunt, cum ne id quidem intelligant, splendori generis, quo admirabiles videri volunt, idem usu venire, quod civitatum numismatis, qua cum apud eas ipsas civitates probata plurimùm valeant, apud alias tamen gentes & adulterina haberi, & nihili fieri cernuntur.*

... ead. vers. 9. post, *alijque &c.* adde: Enumerat hos & iis similes multo plures Gerard. Voss. lib. 1. Inst. Orat. cap. v. num. 14. pag. 65.

Pag. ead. *post* Themistoclis, *adde :* Hæc enim illa sunt quæ virtutem efficiunt.

Pag. 36. vers. 7. *post illa* cap. 1. §. 3. *adde :* Adi l. 1. Rhet. cap. IX. §. 44. & seqq.

Pag. 49. vers. 2. *post* ultus est, *adde* : plura enthymemata suppeditabit locus communis *de facto* l. 2. Rhet. cap. XIX. §. 22. & seqq.

Pag. 54. vers. 17. *post* consistit *adde*: lib. 1. Rhet. cap. IV. §. 22. & seqq.

Pag 93. vers. 28. post *intervertit*, adde : Hæc tria enthymemata è communissimo effectorum loco, item è 2. Rhet 23. §. 76. sunt petita.

Ibid. vers. 30. post *prohibita*, adde : è loco communissimo 2. Rhet. 23, 41.

Ibid. vers. 31. post *parit*, adde ; Quæ id quod felicitati contrarium est (est autem miseria felicitati contraria) pariunt, agenda non sunt 1. Rhet. v, 3.

Pag·

Pag. 97. verſ. 19. *poſt illa*, lib. 3. Hiſt. *adde* : Cap. 53. §. 2.

Pag. ead. verſ. 22. *poſt* Curt. l. 6. *adde* : cap. 8. §. 3.

Pag. 108. verſ. 4. *poſt* Peireſcianis, *adde* : pag. 544. edit. Valleſianæ Lutet. Pariſ. Anno 1634.

Pag. ead. verſ. 13. poſt *Deæ juror*, adde : Non immeritò tamen è conſiliis Pyrrhi maximè illud reprehenditur, quod ſacram pecuniam in hujus belli uſum deſtinaverat, ob id, ut & ipſe agnovit hanc cladem paſſus.

CORRIGENDA.

Pag. 7. verſu 16. *pro* animus *ſcribe* animos.
Pag. 8. verſ. 12. *pro* facit, *ſcribe* faciat.
Pag. 15. verſ. 27. *pro* acceperant, *ſcribe* acceperunt.
Pag. 16. verſ. 5. *pro* Tandem *ſcribe* Denique.
Pag. 30. verſ. 15. *pro* arguat *ſcr.* arguant,
Pag. 35. verſ. 2. pro *viti* ſcribe *niti*.
Pag. ead. verſ. 27. *pro* rguta, *ſcribe* arguta.
Pag. 36. *pro* virturem *ſcribe* virtutum.
Pag. 44. verſ. 17. *pro* qua *ſcribe* quæ.
Pag. 45. verſ. 1. *pro* quæ *ſcribe* qua.
Ibid. verſ. 25. *pro* cicato *ſcribe* citato.
Pag. 46. verſ. 10. *pro* Mauſiniſſam *ſcribe* Maſiniſſam.
Pag. 47. verſ. 14. *pro* inceſſu *ſcribe* inceſtu.

Pag.

Pag. 48. verſ. 17. *pro* Dion. *ſcribe* Dionyſ. Halicarnaſſ.
Pag. 53. verſ. 21. *pro* Grammaticæ *ſcribe* Grammatica.
Pag. 56. verſ. penult. *pro* proclamaret *ſcribe* proclamarent.
Pag. 63. *pro* imaque *ſcribe* imago.
Pag. 93. verſ. 18. pro *pendis* ſcribe *tendis.*
Pag. 103. verſ. antepenult. *pro* Ambroſium *ſcribe* Ambroſij.

F I N I S.





Pag. 48. verſ. 17. *pro* Dion. *ſcribe* Dionyſ. Halicarnaſſ.

Pag. 53. verſ. 21. *pro* Grammaticæ *ſcribe* Grammatica.

Pag. 56. verſ. penult. *pro* proclamaret *ſcribe* proclamarent.

Pag. 63. *pro* imaque *ſcribe* imago.

Pag. 93. verſ. 18. pro *pendis* ſcribe *tendis.*

Pag. 103. verſ. antepenult. *pro* Ambroſium *ſcribe* Ambroſij.

F I N I S.



Pag. 48. verſ. 17. *pro* Dion. *ſcribe* Dionyſ. Halicarnaſſ.

Pag. 53. verſ. 21. *pro* Grammaticæ *ſcribe* Grammatica.


Pag. 56. verſ. penult. *pro* proclamaret *ſcribe* proclamarent.

Pag. 63. *pro* imaque *ſcribe* imago.

Pag. 93. verſ. 18. pro *pendis* ſcribe *tendis*.

Pag. 103. verſ. antepenult. *pro* Ambroſium *ſcribe* Ambroſij.

F I N I S.





Pag. 48. verf. 17. *pro* Dion. *fcribe* Dionyf. Halicarnaff.

Pag. 53. verf. 21. *pro* Grammaticæ *fcribe* Grammatica.

Pag. 56. verf. penult. *pro* proclamaret *fcribe* proclamarent.

Pag. 63. *pro* imaque *fcribe* imago.

Pag. 93. verf. 18. pro *pendis* fcribe *tendis.*

Pag. 103. verf. antepenult. *pro* Ambrofium *fcribe* Ambrofij.

F I N I S.

